



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Tractatus secundus de numero Prædestinatorum, & Reprobatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44272**



I

# TRACTATUS II.

DE

## NUMERO PRÆDESTINATORVM ET REPROBORVM.

---

### CAPVT PRIMVM.

*Explicatur sensus controversia. Statuitur utrorumque certum esse numerum tam materialem quàm formalem.*



**C**IRCA hoc duplex est controversia. Prima est de certitudine numeri. Altera est de majoritate aut minoritate numeri prædestinatorum, respectu numeri reprobatorum.

Numerus duplex, materialis & formalis.

Circa primum, duplex est numerus, alter numerus numerans, alter numerus numeratus. Prior dicitur numerus materialis, cum habet se materialiter ad numerum, quod hæc vel hæc sint numerata. Posterior dicitur numerus formalis, qui constituitur per tot, & non plures in quacunque materia, ut insinuat sanctus Thomas p. p. quæst. 27. art. 7. in corp. Porro potest aliquis esse certus de numero formali, & incertus de materiali. Potest enim esse certus, quot sint; incertus, qui sint. Sicut è converso potest quis esse certus de numero materiali, & incertus de formali; cum possit quis esse certus qui sint, v.g. in hoc confessu; incertus quot sint, ante numerationem. His terminis explicatis,

Dico primò. Certus est in intellectu divino numerus materialis prædestinatorum & reprobatorum. Videtur contra Massilienses; qui, ut refert Hilarius in epist. ad Augustinum, *Si sic prædestinati sunt, inquirunt, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecus instantia correctionis; Est tamen de fide, Ioan. 10. Bonus Pastor proprias oves vocat nominatim. Et infra: Ego cognosco eas, &c.* Quæ explicans Augustinus tract. 45. in Ioan.

Certus est numerus materialis prædestinatorum, & reprobatorum.  
Hilarius.  
Ioan. 10.  
Augustin.

2. Tim. 2.  
Augustin.

Quis, inquit, alius vocat oves nominatim, nisi qui nouit nomina prædestinatorum? Vnde ait, Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in calis. Præterea 2. Tim. 2. cognouit Dominus, qui sunt eius. Ad quod alludens Augustinus tract. 12. in Ioan. Nouit, inquit: Dominus, qui sunt eius. Nouit, qui permaneant ad coronam; qui permaneant ad flammam. Nouit in area ista triticum, nouit & paleam. Nouit segetem, nouit & zizania.

Exod. 32.  
Psal. 68.

Contra hoc argui potest ex Exod. 32. Dele me de libro, quem scripsisti: & Psal. 68. Deleantur de libro uiuentium. Ergo in libro prædestinationis non sunt personæ ita certò & determinatè conscriptæ, ut non possint aboleri.

Vasquez

Respondeo primò cum Vasquez p. p. q. 24. in exposit. a. num. 17. loqui Moysen de catalogo virorum illustrium, qui erant apud Iudæos, per quem intelligit librum uiuentium Hilarius in eum Psalmum. Respondeo secundò cum Augustino q. 247 in Exodum, Moysen locutum esse ex quodam affectu salutis populi, ut Deo ita exhiberet impossibilem populi ruinam: sicut impossibile erat ipsum deleri de libro vitæ. Quoad illud Dauidis, Deleantur, &c. respondet idem

Augustinus.

Augustinus in eum Psalmum part. 2. Non sic accipi debere, ut quempiam Deus scribat in libro vitæ, & delet. Si enim homo dixit, Quod scripsisti scripsi; Deus non scribit, & delet. Sed deleri secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant.

II.

Certus est  
numerus  
formalis  
prædestina-  
torum, & re-  
probatorum.  
Augustinus.

Dico secundò. Certus est etiam intellectu diuino prædestinatorum, & reprobatorum numerus formalis. Est etiam de fide, quia posita infinitate diuinæ scientiæ, hoc ipso quod cognoscit Deus, qui sint, cognouit etiam quod sint. Quamobrem Augustinus tract. 48. in Ioan. securus, inquit, est de numero eorum; qui pro his nouit, quod dedit.

Cath. xiiii.

Dico tertio. Certus est apud Deum numerus prædestinatorum & reprobatorum ex vi decreti prædestinationis ante præuisa absolutè merita vel demerita. Est contra Catharinum lib. 1. de prædestin. cap. vlt. ubi docet certum esse ex vi prædestinationis numerum prædestinatorum non esse certum numerum saluandorum; cum ipse existimet aliquos prædestinari ante præuisa merita, qui propriè prædestinati dicuntur; alios post præuisa, qui dicuntur saluandi, iuxta ea quæ reulimus tom. 2. Theolog. lib. 3. q. 5. Est etiam contra omnes eos qui ponunt prædestinationem post præuisa merita: apud quos non est certus hic numerus, nisi post præuisa vniuscuiusque merita vel demerita.

Contra quos probatur ex fundamento opposito, Quia tum prædestinatio, tum reprobatio, prout dicit exclusionem à decreto salutis; sunt ante præuisa absolutè merita, & demerita ut probatum est q. cit. Ergo tam numerus materialis quam formalis prædestinatorum & reprobatorum certus est in intellectu diuino ante præuisa merita vel demerita.

Contra hoc argui potest ex Apoc. 3. *Tene quod habes; ne alius accipiat coronam tuam.* Ergo videtur esse incertus numerus materialis prædestinatorum; cum unus subrogari possit loco alterius. Quamobrem Augustinus de correptione & gratia cap. 13. dicit *alium coronam hanc non esse accepturum, nisi iste perdiderit.* Responderi potest juxta varias hujus loci expositiones. Prima expositio est, quod loquatur secundum præsentem notitiam, nempe monendo ut unusquisque operetur salutem suam cum timore; & teneat quod habet, ne amittat coronam suam, id est, quam ipse putat se habere. Videtur colligi ex Augustino loco citato, ubi hæc verba explicans, *Quis, inquit, ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat: quia id occultari opus est in loco, ubi cavenda est elatio.* Secunda expositio est sancti Thomæ in 1. part. q. 23. art. 6. ad 1. ubi dicit hoc non intelligi *de corona ex prædestinatione divina, quam nullus amittit: sed de corona ex merito gratie. Quod enim meremur, quodammodo nostrum est, & sic suam coronam aliquis potest amittere per peccatum mortale sequens.* Tertia expositio esse potest, quod ex hoc loco colligatur certitudo numeri formalis comparata tanquam prior ad certitudinem numeri materialis. Ita ut, antequam decerneret hos & hos in particulari Deus, decreverit certum numerum prædestinatorum, quantum judicavit esse convenientem corpori triumphantis Ecclesiæ, cujus Christus est caput. Quod explicari potest exemplo Principis, qui prius decernit tantum numerum Alicorum, quantum se decere judicat: tum decernit hos & hos. Quo posito, monetur hoc loco Episcopus Philadelphiæ, *ut teneat quod habet, ne alius accipiat, &c.* quia in potestate ejus erat in ordine executionis Dei prædestinationi cooperari; & sic tenere eum locum, in quo alius collocatus fuisset, nisi ipse cum sua cooperatione in eo prædestinatus fuisset; posito numero prædestinatorum, antecederet ad omnia stabilito. Hæc expositio colligitur apertè ex eodem Augustino loco citato, ubi in ea verba Matth. 3. *Potesť Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: ut ostendat, sic istos esse amputandos, si non fecerint fructus, ut non desit ille numerus qui promissus est Abrahæ.* Tamen apertius in Apoc. dicitur, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius accepturus non est, nisi iste perdiderit, jam certus est numerus.* Ergo supponit talem determinatum numerum fuisse decretum antecederet ad hos, & hos; qui conflare debebant hunc numerum. Idem apertè colligitur ex Gregorio lib. 25. Moralium cap. 8. ex Beda, Ansberto, & aliis in hunc locum. Certus itaque est in intellectu divino prædestinatorum & reprobatorum tam numerus formalis quam materialis. Sed prius decretus est numerus formalis, posterius numerus materialis. Ex hac autem certitudine sequitur infallibilitas salutis prædestinatorum, & damnationis repro-

In prædeterminatione in subrogatur unus loco alterius.

Apocal. 3. Augustin.

Augustin.

S. Thom.

Augustin.

Gregorius.  
Beda.  
Ansbertus.

*Fulgentius.* borum. Ideo Fulgentius de fide ad Petrum cap. 35. *Firmissimè*, inquit, *tene neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit: nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, posse ulla ratione salvari.* Hæc autem non intelligenda sunt secundum impossibilitatem absolutam; sed secundum impossibilitatem conditionatam, ut docet sanctus Thomas p. p. q. 23. art. 4. ad 3. & nos tom. 2. l. 3. q. 5.

## CAPVT II.

*Fundamenta affirmantium prædestinatorum numerum non excedi à numero reproborum.*

III.  
Angelorum  
prædestina-  
torum nu-  
merus maior  
est numero  
reprobato-  
rum.

*Apoc. 12.*  
Reprobatorū  
hominum  
maior est  
pars, infideli-  
bus compu-  
tatis.

Inter fideles  
maior pars  
est prædesti-  
natorum,  
parvulis  
computatis.  
*Rui.*

Prædestina-  
torum ex  
adultis fide-  
libus nume-  
rum, maio-  
rem numero

IN hoc de more secernemus certa ab incertis. Certum videtur primò numerum Angelorum prædestinatorum majorem esse numero reprobatorum, quia eorum vel tertia pars cecidit, ut videtur significari Apocal. 12. vel certè minor pars, ut est communis sensus Doctorum. Certum est secundò majorem hominum partem esse reproborum, si computantur omnes etiam infideles, idque per omnes mundi ætates. Quandoquidem per sex annorum millia, & amplius, usque ad adventum Christi, paucissimi iique ex solis Iudæis salvabantur. Et si nunc spectetur Ecclesia fidelium, extra quam non est salus, est minima hominum pars comparata ad multitudinem infidelium, nempe Mahometanorum, Ethnicorum, & hæreticorum quorum est certà damnatio. Tota igitur controversia reducitur ad fideles. Certum videtur tertio, majorem inter fideles esse numerum electorum, si computetur inter eosdem numerus infantium decedentium intra septennium, ante usum rationis. Qui, ut experientia colligitur ex paræciis, & notat Ruiz. disp. 44. sect. 1. num. 14. pænè æqualis est numero morientium adultorum. Infantibus, si addas adultos, qui salvantur, jam numerus efficietur major numero eorum, qui inter fideles damnantur. Adde his infantes filios hæreticorum decedentes cum baptismo: qui etiam pertinent ad Ecclesiam fidelium, & sic additi infantibus filiis fidelium, & fidelibus adultis, qui salvantur, numerum efficiunt multò majorem numero adultorum fidelium, qui damnantur. Tota igitur controversia reducitur ad solos adultos fideles, an scilicet inter hos numerus prædestinatorum excedatur à numero reproborum.

Circa hoc est opinio affirmantium numerum prædestinatorum nõ solum non excedi à numero reproborum, sed etiam illum excedere. Ita Sylvester in rosa aurea tract. 2. in Evang. Septuagesimæ. Carthægena discurs. 10. de prædestin. dub. pen. Granadus tomo 2. p. p. tract.

12. dist. 4. num. 10. Franciscus de Christo in 1. dist. 41. quæst. ult. de reprob. concl. 3. Franciscus Suarius lib. 5. de prædestinatione cap. 3. Lorinus in Psalm. 138. Vers. 14. Hi tamen duo, ut bene notat Ruiz expressè includunt fideles paruulos.

Probatur primò è Scripturis. Apocal. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis stantes ante thronum, &c.* ubi expressè loquitur de Beatis. Consonat Propheta Pf. 138. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, &c. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Quod de numero à solo Deo numerabili intelligit Augustinus in eum locum. Ierem. 33. *Sicut dinumerari non possunt stella cali, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei, & Levitas ministros meos.* Videtur figuratè loqui de electis, quorum vult esse numerum innumerabilem. Ideo Augustinus in Soliloquiis cap. 18. loquens de electis, horum, inquit, nomina, numerumque tu nosti: qui solus multitudinem stellarum numeras. Denique videtur idem significari promissione illa facta Abrahæ Gen. 15. *Suspice calum, & numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Et Gen. 22. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cali, & sicut arenam, qua est in littore maris.* Quæ verba expendens Augustinus lib. 15. de civ. cap. 23. illa inquit, repetita comparatione caelestium stellarum, mihi promissa videtur posteritas, caelesti felicitate sublimis. Præterea Psal. 39. *Annunciavi, & loquutus sum: multiplicati sunt super numerum.* Denique Apocal. 7. *Ioannes Vidit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantem ante thronum Dei, & palma in manibus eorum* Electorū igitur promittitur in scripturis numerus innumerabilis; cum nihil tale in iis habeatur de numero reproborum. Confirmatur primò ex Matth. 21. ubi in convivio unustantum reperitur est non habens vestem nuptialem. Et Matth. 25. ubi exhibentur in figuram prædestinatorum & reproborum decem Virgines, quinque prudentes, & quinque fatua. Ergo saltem colligitur, electorum numerum à reproborum numero non excedi. Confirmatur secundò ex collecta Ecclesiæ, in qua rogat Deum, ut omnium fidelium nomina beata prædestinationis liber ascripta retineat. Hoc autem non peteret Ecclesia, nisi peteret saltem plerosque fidelium prædestinari.

Probari potest idem secundò ex Patribus. Primò Damascenus or. de his qui in fide migrarunt, dicit *salvari eos qui vel parū de fermento virtutis possederint: & tempus non habuerunt, ut ex eo panem faciant: & voluerunt quidem, licet sive ob desidiam, vel ob negligentiam, vel ob fragilitatem, vel ob quotidianam procrastinationem nequiverint.* Hæc est autem maxima pars fidelium. Secundò, citari possunt hac sententia Patres ii, qui docent numerum electorum subrogandum esse in locum eorum, qui ceciderunt, Angelorum.

reproborum  
opinatur  
aliqui  
Syl. ff.  
Carthag.  
Granadus.  
Franciscus  
de Christo.  
Suarius.  
Lorinus.  
Apocal. 7.  
Psalm. 138.  
Ierem. 33.

Augustinus.

Genes. 15.

Genes. 22.

Augustinus.

Psal. 39.

Apocal. 7.

I V.

Prædestina-  
torum nu-  
merus in-  
numerabilis.

M. 1. b. 21.

Matth. 25.

Damasc.

S Thom.  
Prædestina-  
tos subroga-  
ri in locum  
Angelorum,  
qui cec de-  
runt, doctri-  
na aliquorū.  
Bernardus.  
Astr. lib. de  
diligendo  
Deo.  
Psal. 109.  
S Thom.  
Apocal. 12.  
Anselmus.  
Augustinus.

Quorum sententias, suppresso nomine, recenset sanctus Thomas 1. p. qu. 23. artic. 7. in corp. Horum enim aliqui docent esse tot homines prædestinatos, quot ex Angelis ceciderunt, ut videtur sentire Bernardus serm. 68. in Cant. & Author libri de diligendo Deo cap. 3. Quod videtur etiam indicari in Psal. 109. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Quod si Angelorum numerus est incomparabiliter maior numero omnium hominum, ut docet sanctus Thomas 1. part. q. 50. art. 3. & Angelorum tertia pars cecidit ex illo Apoc. 12. de cauda Draconis, idest Luciferi *trahentis tertiam partem stellarum*, idest Angelorum: necessarium concluditur requiri maiorem partem hominum, ut suppleat tertiam partem Angelorum. Alii verò docent plures esse prædestinatos ex hominibus, quàm sint reprobati ex Angelis, ut Anselmus lib. 1. cur Deus homo c. 18. & inclinare videtur Augustinus in Ench. cap. 25. & 21. de Ciuitate Dei cap. 1. Alii denique putant tot esse prædestinatos, non quidem quot Angeli ceciderunt, sed quot remanserunt; ut Gregorius homilia 34. in Euang. ubi *Suprema*, inquit, *illa ciuitas & Angelis & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse.* Si igitur ex Gregorio, par est numerus electorum ex Angelis & ex hominibus; cum duæ tertiæ partes Angelorum sint ex electis, multo plus quàm duæ tertiæ partes hominum erunt ex electis; cum minor sit numerus hominum quàm Angelorum.

Gregorius.

Suarus.

Probatur tertio ex Suario loco citato, quia maior pars fidelium, licet sæpe mortaliter peccet, tamen sæpe etiam resurgit: & ita cadendo, & resurgendo vitam transigit. Hi autem, cum ante mortem communiter præparentur per Sacramenta, ad quæ sufficit auxilio, videtur probabiliter ex vi illorum saluari. Confirmari potest, quia magna pars constat ex sceminis qui sexus ad pietatem pronus, ab Ecclesia deuotus dicitur. Hæ autem, à rixis, à rapinis, aliisque peccandi occasionebus immunes facile conseruantur in gratia: & sic videntur maiori ex parte saluari.

Peccatores  
subito in san-  
ctos trans-  
formati.

V.

Chrysofom.

Probatur quarto, quia multi etiam toto vitæ tempore scelestissimi, quando non repentinè decedunt, saltem in illo mortis articulo ex timore gehennæ vehementissimè atteruntur vsque ad lachrimas. Ergo etiam hi inter electos sunt collocandi; cum intra quodlibet vitæ spatium pœnitendi sit tempus. Apparet hoc præcipuè in sancto Latrone, qui vnus vel alterius horulæ spatio, post tot scelera, momento sanctus, post tot furta rapuit Paradisum. Apparet etiam in aliis, quos Christus subito ex peccatoribus transmutauit in sanctos. Quod expendens Chrysof. hom. 1. in Psal. 50. *Dum esset*, inquit, *paruulus ab extremis finibus vocauit Magos: post illos publicanum; (Matthæum) post hunc meretricem; (Magdalenam) post illam latronem: post hunc vocauit blasphemum, nempe Paulum, ut ipse se appellat 1. ad Tim. 1.*

Et

Et infra: *Si impius es, cogita publicanum: si immundus es, attende meretricem: si homicida es, perspice latronem: si iniquus es, cogita blasphemum.*

Confirmatur primò, quia Deus prædestinavit ante prævisa quælibet merita vel demerita, ut ostensum est tomo 2. lib. 3. q. 5. Ergo paucitas prædestinatorum non potest pendere sive à paucitate merentium, sive à multitudine demerentium. Ergo totum prædestinationis opus pendet merè à divina voluntate, & hæc movetur à divina bonitate. Ergo non est credibile divinam bonitatem, quæ est maximè sui communicativa, movere voluntatem divinam ad communicandam se paucis & non multis, nullo adhuc posito ex parte eorum demerito. Ergo videtur potiùs pertinere ad divinam misericordiam, quod salventur multi. Ideoque David Psal. 35. *Homines & jumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Homines & jumenta, quasi dicat, innocentes & peccatores: eos qui viuunt juxta dictamen rationis, ut homines; & præter rationem, ut jumenta. Hos etiam salvare, videtur proprium divinæ bonitatis: quæ non ostenderetur sui communicativa pluribus, si pauciores salarentur, ut dictum est. Quod videtur argumentum Tertulliani contra Marcionem, ubi: *Pluribus, inquit, pereuntibus, quomodo perfecta defenditur bonitas maiore ex parte cessatrix, cedens perditioni, partiaria exitii?* Quod si plures salvi non erunt, erit jam non bonitas, sed malitia perfectior.

Confirmatur secundò à posteriori ex locis ipsis, quæ Deus præparavit prædestinatis & reprobis. Nam his præparavit gehennam, carcerem angustissimum circa centrum terræ: Si verò accipiatur cælestis Hierusalem electorum sedes, ut visa est à Joanne Apoc. 21. continet longitudinis duodecim millia stadia, idest mille quingenta milliaria, & totidem latitudinis. Quippe illa civitas posita est in quadro. Totus autem urbis illius circuitus continet milliaria sex mille, præter suburbia. Si verò dicitur civitas hæc visa à Joanne accipi tantùm symbolicè, ut volunt aliqui, utique Beatorum domicilium erit totus empyrei circulus; cui universus terræ ambitus comparatus, est instar puncti. Quippe Sol, minima cæli inferioris pars, centum sexaginta sex vicibus terræ magnitudinem continet. Cælum verò firmamenti in circulo maximo superficiei conuexæ continet milliaria 1017562500, idest mille milliones quingenta sexaginta duo millia milliaria, & quingenta. Vnde infertur magnitudo multò major empyrei, tres supra firmamentum cælos suo ambitu complectentis. Ex magnitudine igitur domicilii Beatorum, eorundem multitudo colligitur: sicut ex angustiis loci reproborum eorum paucitas: Cum præsertim reprobi nullo dono penetrationis præditi, corpora sint habituri exigentia æquale spatium, eum exclusionem alterius corporis. Carcer autem ille subterraneus non videtur esse capax tantæ multitudinis reproborum, quanta ex colle-

Prædestinatorum paucitas videtur divinæ bonitati præiudicare.  
Psal. 35.

Apoc. 21.  
Paradisus civitas amplissima.

Paradisus quanta sit magnitudinis.  
Cælum firmamenti quot milliaria efficiat Inferni locus angustior.

etione omnium hominum qui fuerunt, qui sunt, qui erunt, superent multitudinem electorum.

Probatum idem ultimo principaliter ex efficacia sanguinis Christi: Nam, cum quæstio præcipue sit de adultis fidelibus post aduentum Christi, videtur pertinere ad efficaciam Passionis & Sanguinis Christi, ut plures ex fidelibus post eius aduentum saluentur quam damnentur. Sicut ante eius aduentum, ex minori participatione Passionis roudum impletæ, plures damnabantur quam saluabantur. Confirmatur primò, quia ex Angelis plures fuerunt prædestinati quam reprobat, ut dictum est Apoc. 12. & tamen ii non fuerunt à Christo redempti. Ergo multò magis id dicendum videtur de hominibus, ad quos Christi redemptio pertinet: ut appareat magis virtus & efficacia Christi; ad cuius gloriam prædestinati sunt, quotquot sunt. Confirmatur secundò ex multitudine innumerabili Martyrum. Nam sub vno Diocletiano, ut notat Cornelius in Apoc. 7. vers. 9. singulis mensibus cæsa sunt septem & decem millia. Qui numerus multiplicatus per decem persecutionis annos, efficit duos milliones Martyrum. Ex quo fit verisimile, id quod notat Genebradus in Psal. 78. posse singulis annis diebus celebrati festa Martyrum triginta millium: immo, ut habetur ex vetusto codice reuelationum sanctæ Birgittæ, in sola vrbe Roma celebrari posse singulis diebus festa Martyrum septem millium. His adde sanctos Confessores, de quorum multitudine plura in iisdem reuelat. cap. 17. Confirmatur tertio, quia prædestinati sunt Christi familia, & Aulici; cum sit *in omnibus ipse primatum tenens*, ad Coloss. 1. Ergo pertinet ad maiorem gloriam Christi maior numerus prædestinatorum: Sicut ad maiorem gloriam Principis maior numerus Aulicorum. Ergo hoc potius affirmandum est; cum cedat in excellentiam Christi. Hæc ferme argumenta adduci possunt pro hac sententia: neque vltius, ut arbitror, eius probabilitas potest excurrere, accommodata cupiditati magis quam veritati, optando potius exitu, quam sperando.

Martyrum  
multitudo  
numerabilis.  
Cornelius.

Genebrard.  
Martyrum  
singulis die-  
bus triginta  
millium me-  
moriam.  
Reuelationes  
S. Birgittæ.

Ad Coloss. 1.

### CAPVT III.

*Prædestinatorum numerum inter adultos fideles excedi à numero reprobatorum, è Scripturis ostenditur.*

Reprobatorum  
numerus ex  
fidelibus  
adultis ma-  
ior, quam  
prædestina-  
torum.  
Lyranus.

Contraria sententia videtur verior. Quam tueretur Lyranus, Carthusianus, & Maldonatus in cap. 22. Matth. in illa verba, *Pauci verò electi*. Cajetanus in Matth. 25. Bellarminus in libello de gemitu columbæ lib. 1. cap. 6. Fasolus tom. 2. in p. p. quæst. 23. art. 7. in commen. art. num. 7. citans etiam pro hac sententia Alvarez, quem non

vidi. Ruiz. de prædestin. disput. 54. sect. 1. num. 16. Smising. tom. 1. tract. 3. disput. 6. de proud. qu. 13. num. 804. Drexellius in Zodiaco Christiano in coron. de paucitate, &c. Inclinat Molina in 1. p. qu. 23. num. 7. conc. 3. Nec dissentiunt Suarius & Lorinus locis citatis, vbi comprehendunt etiam baptizatos paruulos. Denique idem sentit Abulensis quæst. 69. in 22. Matth. vbi dicit, *quod ista positio est communis, & satis verisimilis*: quorum sententiæ adhæreo. Licet enim res hæc soli Deo possit esse nota, *cui soli notus est numerus electorum*, vt in Oratione dicit Ecclesia: & ideo hanc vt omnino dubiam pronunciet Vasquez in 1. p. dis. 101. cap. 4. Non tamen ex hoc tollitur, quin ex principiis reuelatis possit de ea ferri iudicium aliquod, si minus certum, saltem probabile; cum præsertim id quod dicitur de notitia numeri soli Deo reseruata, intelligi debeat de tali determinato numero, puta quoddam sint tot vel tot milliones; non autem de magnitudine numeri accepta in generali, & comparatiuè ad numerum reproborum. Et ideo sanctus Thomas p. p. qu. 23. art. 7. in corp. dicit *Soli Deo cognitum esse numerum electorum*: & tamen in responsione ad 3. absolutè pronunciat *pauciores esse qui saluantur*: & ex ratione quam affert, id videtur sentire etiam inter adultos fideles, vt patebit infra. Hæc igitur sententia ita explicata.

Probatum primò è Scripturis. Primus locus est Isa. 24. *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si pauca oliuæ, quæ remanserunt excutiantur ex olea: & racemi, cum fuerit finita vindemia. Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt: cum glorificatus fuerit Dominus.* Loquitur de saluandis in fine mundi, vt expressè Hieronymus, aliique interpretes in hunc locum; & vt egregiè explicat Bellarminus loco cit. dicit *numerum reproborum similem fore multitudini oliuarum, quæ cadunt in terram, cum primum excutitur olea: paucitatem autem electorum similem fore paucitati oliuarum, quæ manus excutientium fugerunt: & paucitati racemorum qui finita vindemia casu reperiuntur in vinea.* Ideo pauci illi electi leuabunt vocem suam, atque laudabunt, &c. Loquitur autem de paucitate fidelium electorum per comparisonem ad alios etiam fideles. Loquitur enim de iis, tanquam de paucis oliuis remanentibus in eadem arbore: & de racemis vix residuis in eadem vinea: quod est dicere de fidelibus in eadem Ecclesia. Idem significatur Micheæ 7. *Va mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumnio racemos vindemia. Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Quia nimirum tam racemi collecti post vindemiam, quàm ficus præcoquæ, & ante tempus, paucissimæ sunt; & his comparat iustos, atque electos. Ideo sequitur; *Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.* Quia scilicet hi, vt explicat Ribera, sunt multò pauciores; ita vt cum multitudine malorum comparati, vix vlli dici queant. Ideo in prædicto loco Isaia

Carthusian.  
Maldonatus.  
Caietanus.  
Bellarmin.  
Fasolus.  
Smising.  
Drexellius.  
Molina.  
Suarius.  
Lorinus.  
Abulensis.  
Vasquez.

S. Thomas.

Isa. 24.

Hieronym.  
Bellarmin.  
Prædestinati  
velut racemi  
finita vindemia.

Micheæ 7.

Ribera.

Isaia 10.  
Predestinati  
reliquie sal-  
tus succissi.

Eusebius.

Christus  
puer electos  
scribit in li-  
bro vite.

Gregorius.

Natiuitas  
Christi præ-  
destinationis  
medium.

Isaia 28.

Hug. Card.  
Predestinati  
residuum po-  
puli Dei.  
Hieronym.

Esdras l. 4.  
c. 4.

Matth. 22.

August.

appellantur *Racemi finita vindemia*. Et Isaia 10. *Reliquia ligni saltus*, suscepta metaphora à paucitate lignorum, quæ remanent succisa sylua. *Et reliquia ligni saltus eius præ paucitate numerabuntur: & puer scribet eos.* Vbi Septuaginta: *Et relictæ ex iis numerus erunt*, idest, vt explicat Eusebius l. 2. de demon. Euang. cap. 40. *Pauci, & facillè numerabiles. Et puer scribet eos.* Nempe, vt idem Eusebius, *ille puer, de quo dictum fuerat, ecce virgo concipiet, & pariet filium: & hi erunt scripti in libro vite.* Ideo vt notat Gregorius homil. 8. in Euangel. *Nascituro Domino mundus describitur; quia ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate.* Et hoc est quod dicit Isaia, *puer paruus scribet eos.* Siue quia Christi incarnatio & natiuitas medium fuit prædestinationis: siue quia designatio prædestinatorum fuit commissa Christo, vt ostendimus tomo 2. Theol. lib. 3. qu. 10. siue denique quia, fortasse magis iuxta litteram, prædestinati tam pauci sunt, vt dicatur per figuram hyperbolem eos etiam à puero vix paucas exarante notas scribi posse: *Et puer scribet eos.* Hi autem *præ paucitate numerabuntur: & ideo vocat reliquias ligni saltus.* Sicut etiam Isaia 28. appellat *residuum populi: Et erit, inquit, Dominus corona gloria, & sertum exultationis residua populi sui.* Quia scilicet, vt explicat Hugo Cardin. remuneraturus est sanctos suos. Sancti igitur, & electi Dei præ paucitate sunt residuum populi Dei, idest residuum inter fideles. Ideo in hunc locum Hieronymus: *Dominus, inquit, erit corona gloria his, qui in Ecclesia commemorantur: & ad multitudinem plurimorum errantium comparati parui sunt numero.* Electi igitur apud Isaiam modò vocantur *pauca oliua, quæ remnaserunt: modò reliquia ligni saltus: modò residuum populi Dei.* Quid ex his aperte paucitatem non exhibet eorum, qui saluantur intra ipsam vineam Ecclesiæ, & in ipso populo Dei? Consonat is Esdras lib. 4. qui liber, licet non sit canonicus, tantæ tamen est auctoritatis, vt ab Ecclesia interferatur in Sacris Bibliis. Ibi autem cap. 8. introducitur Angelus ita dicens: *Hoc seculum fecit Altissimus propter multos; futurum autem, propter paucos.* Et infra: *Multi quidem creati sunt: pauci autem saluabuntur.* Hæc è veteri testamento: quæ omnia in vnum testimonium congeessimus. Deueniendo autem ad nouum.

Secundus locus est Matth. 22. vbi dicitur *multi sunt vocati: pauci verò electi.* Loquitur autem non de iis, qui renuerunt venire ad nuptias, quos interpretari possumus infideles: sed de iis, qui ad eam venientes, & discumbentes, non sunt reperti à Rege *cum veste nuptiali*: quibus sine dubio significantur fideles iam in Ecclesia discumbentes. Licet autem dicatur, quod *Rex vidit hominem non vestitum veste nuptiali*: tamen sententia, quam Christus subdit, *multi sunt vocati, &c.* ostendit in illo vno representari omnes reprobos: quos dicit esse multos, *paucos verò electos.* Est expositio Augustini l. contra

Donatistas post collat. cap. 20. ubi: *Christus, inquit, in illo uno multam societatem malorum esse intelligendam, inter quos pauciores boni in convivio Dominico vivunt* ( ecce paucitatem electorum intra Ecclesiam ) *significare non distulit. Nam postquam dixit, ligatis manibus & pedibus proicite, &c. continuo subiecit, multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Quomodo hoc verum est, nisi quia in illo uno grande corpus figurabatur omnium malorum, ante Domini iudicium convivio Dominico permixtorum? Multitudo igitur, de qua Christus loquitur, est ex Augustino multitudo reproborum permixta cum electis in eadem Ecclesia: & sic respectivè ad solos Christianos dicitur multos esse vocatos, paucos vero electos. Idem repetit lib. 18. de civit. cap. 48. ubi: De illis, inquit, qui vocati sic venerunt, ut de convivio proiicerentur: qui nunc replent Ecclesias: quos tanquam in area ventilatio separabit. Præterea Gregorius hom. 19. in Evang. Terribile, inquit, est valde, quod sequitur, multi sunt vocati pauci vero electi, quia & ad fidem plures veniunt, & ad caeleste regnum pauci perducuntur. Pauciores igitur in Ecclesia fidelium interfunt huic convivio vestiti veste nuptiali: plures non vestiti. Quippe, ut explicat Anselmus in eum locum intrant ad nuptias non cum veste nuptiali, qui in sancta Ecclesia commorantes fidem habent; sed charitate carent. Et infra: Mirandum, quòd hunc amicum vocat ( amice, quomodo huc intraisti, &c. ) subdit autem post hunc reprobaturum; Multi sunt vocati, pauci vero electi: quia, ut expendit idem Anselmus, repulso uno, in quo omne malorum corpus exprimitur, generalis protinus sententia subinfertur, cum dicitur, multi sunt vocati, &c. quasi dicat, quod de uno dixi, de multis intelligatis. Idem expresse habet Origenes in cap. 22. Marc. tract. 20. & Chrysostomus in Matth. quorum verba dabuntur infra. Idem sentit Abulensis quæst. 69. in hoc cap. Matth. ubi dicit quod multi sunt vocati ad fidem, id est convertuntur ad eam, sed pauci electi: quia pauciores Christianorum sunt, qui salvantur, quàm qui damnatur. Loquitur autem de adultis, quos dicit convertos ad fidem. Iuxta igitur communem expositionem Patrum multitudo vocatorum ad convivium, respectu quorum Christus dixit paucos esse electos, est multitudo fidelium in eadem Ecclesia discumbentium: respectivè ad quos à Christo electorum paucitas pronunciat. Consonat Propheta dum dicit Psal. 16. Domine à paucis de terra divide eos, ubi legit Chaldaeus; A justis, & electis divide eos. Adeo verum est quod pauci sunt electi, ut in Scripturis perinde sit dicere pauci, ac dicere electi. Contra verò idem est dicere multi, ac reprobi. Ideo Deus Psal. 54. quæritur, quoniam inter multos erant mecum. In quem locum Augustinus: In multis, inquit, erant mecum. Qui se separaverunt à me mecum erant, non in paucis, sed in multis: etenim per totum orbem pauca sunt grana, multa sunt*

Reprobi omnes illo uno significati non vestito veste nuptiali.

Gregorius.

Anselmus.

Origenes. Chrysostomus. Abulensis.

Psal. 16. Electi dicuntur pauci de terra.

Psal. 54. Augustin. Reprobi, & multi, idem sonant.



*palea.* Quod ergo ait inter multos mecum erant, id est ex Augustino, inter reprobos igni comburendos, ut paleas, non inter electos congregandos ut triticum in horreum, ex Matth. 13. Idem igitur est dicere multi, ac dicere reprobi: idem pauci, & electi; ut clarius verificetur; *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Matth. 7.  
Angusta salutis porta  
arcta via.

Tertius locus est Matth. 7. *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Expressè demonstrat paucitatem electorum, & multitudinem reproborum. Neque potest hoc explicari respectivè ad omnes homines, etiam infideles. Primò, quia arctitudo viæ, quæ ducit ad vitam, consistit maximè in observatione præceptorum. Quare dicitur Psal. 118. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Semita idem est ac via arcta: semita autem mandatorum communis est etiam fidelibus adultis. Ergo arctitudo ista, quæ facit paucitatem respectivè ad multitudinem reproborum, accipienda est etiam inter fideles adultos. Secundò, quia hæc Christus dixit solis Discipulis in sermone habito in monte, ut patet ex

Psal. 118.

Matth. 6.

Matth. 6. & 7. Ergo alloquebatur solos fideles: ergo dum eos monet ut intrent per angustam portam, non potest hoc intelligi de porta fidei, quam jam intraverant: ergo intelligi debet de angusta porta mandatorum, per quam intratur ab iis qui sunt intra portam fidei. Ergo expressè loquitur de paucitate eorum qui salvantur inter fideles.

Lucæ 13.

Quod etiam patet ex Luc. 13. ubi ait quidam, *Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos, Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, querent intrare, & non poterunt.* Loquitur autem non de infidelibus, sed de fidelibus iniquis: subdit enim, *& dicet vobis, Nescio vos: discedite à me, omnes operarii iniquitatis.* Tertio, Patres id exponunt respectivè ad fideles. Chrysostomus lib. c. advers. vitup. vitæ Monasticæ, *Angusta, inquit, est janua, & arcta est via qua ducit ad vitam: & pauci inveniunt eam. Si verò pauci sunt, qui inveniunt, profectò longè pauciores erunt, qui ad summum eius pervenire possunt. Neque enim omnes, qui initio illam apprehenderunt (utique Christiani) ad finem etiam perducti sunt, sed alii in ipsis initiis: nonnulli in itineris medio; plurimi in ipsum fere*

Chrysostom.

Nazianz.

portum inveci naufragium fecerunt. nihil terribilius. Nazianz. or. 35. *Via, inquit, angusta est propter sudores: & quia non à multis teritur, si multitudinem eorum cogites, qui contrario itinere per vitium gradiuntur.* Non dicit per infidelitatem, sed per vitam. Augustinus in Psal. 39. alloquens fideles: *ecce, inquit, turba via lata, non frustra ipsa ducit ad amphitheatrum; non frustra ipsa ducit ad mortem. Via lata mortifera est. Latitudo eius delectat ad tempus: finis eius angustus in æternum.* Anselmus in eum locum, *intrate per angustam*

Augustinus.

Anselmus.

portam, &c. Quasi dicat, inquit, Dura vobis videntur qua precipio, & angusta (ecce loquitur de angustia præceptorum) qua Christus discipulis tradidit, sed per hanc duritiam, & angustiam intrandum est vobis ad vitam. Per latam multi ambulant: angustam pauci inveniunt. Latam non quaramus: nec inuestigatione opus est sponse se offert erranti. Angustam verò nec omnes inveniunt; nec, qui inuenierint (vtique fideles) statim ingrediuntur per eam. Multi enim inuenta veritatis via, capti seculi voluptatibus de medio itinere reuertuntur. Si igitur Christus alloquitur fideles, & loquitur de angusta porta ex difficultate obseruandi præcepta, manifestè apparet loqui de paucitate fidelium, qui per hanc viam præceptorum gradiuntur, respectiue ad multitudinem eorum, qui ambulant per viam latam voluptatum: quæ ducit ad perditionem. Et in hoc sensu accipi solet communiter à fidelibus via arcta & via lata. Credendum igitur est Christo de via; qui solus nobis Dux esse potest ad patriam. Et, cum manifestè appareat plerisque fidelium ambulare per viam latam, euidenter debet esse consequentia plerisque duci ad perditionem. Quod animaduertens Augustinus in Psalm. 39. in ea verba. Videbunt iusti, & timebunt, timebunt, inquit, angustam viam. Vident illac latam viam; vident hac angustam. Hac vident paucos, illac multos. Loquitur autem Augustinus inter ipsos fideles. Subdit enim; Noli numerare turbas hominum incedentes per vias latas, implentes crastinum circum, ciuitatis natalem clamando celebrantes, ciuitatem ipsam malè viuendo turpantes. Noli illos attendere, multi sunt: & quis numerat? pauci autem per viam angustam. Profer stateram: appende; vide contra pauca grana electorum, quantam paleam reproborum leues.

Anselmus.

Quartus locus est Matth. 26. Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valde, dicentes, Quis ergo poterit saluus esse? Quæ illatio iure facta est à discipulis: Quippe à minore vsque ad maiorem omnes auaritia student, Ier. 6. Et omnes qua suasunt, quarunt, ad Phil. 2. Si igitur etiam inter ipsos fideles ex ore Christi pene impossibile est diuitem intrare in regnum cælorum; manifestè apparet etiam inter fideles paucitas saluandorum. Qui enim non sunt diuites re, sunt diuites spe & affectu: quod deterius est. Nam, Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos & tentationes diaboli, 1. ad Tim. 6. Vnde sequitur etiam inter fideles paucos saluari; eos scilicet qui voluntariè facti pauperes spiritu, vel saltem affectu, diuitiis non inhærent. De quibus dici potest illud tritum Poëtæ, Rara avis in terris, seu potius illud Sapientis Eccl. 31. Beatus vir qui post aurum non abiit. Quis est hic &c. Confirmatur ex Matth. 6. vbi di-

Matt. 16.

Diuitibus  
difficultas sal-  
utis.

Ierem. 6.

Ad Philip. 2.

2. Ad Tim. 6.

Eccles. 31.

Matth. 6.

*Augustinus.* citur, *Nemo potest duobus dominis seruire.* Quod Christus explicans subdit, *Non potestis Deo seruire, & mammona;* id est, vt Augustinus & alii interpretantur, diuitiis, lucro, pecuniæ. Idcirco monet ibi Christus refecendam à Christianis sollicitudinem etiam victus & vestitus: *hæc enim omnia gentes inquirunt.* Quotus autem quisque est, qui pecuniis non inhiet, qui mammonæ non seruiat, qui pene totam sollicitudinem huic sæculo non impendat? Si igitur hi ex ore Christi non Domino seruiunt, sed mammonæ, non poterunt connumerari inter eos qui expectant mercedem à Domino, atque adeo nec inter electos. Hoc autem est maxime animaduertendum: quia in plerisque tota fiducia de felicitate salutis pendet ex hoc quod putent posse se & Deo seruire, & pecuniæ: cuius contrarium Christus definit, *Non potestis Deo seruire, & mammona,* exemplificans etiam in necessariis ad vestitum & victum. Si igitur etiam inter adultos fideles paucissimi sunt, qui pecuniæ saltem affectu non seruiunt, paucissimi etiam erunt qui Domino seruiunt; cum nemo possit vtrique seruire. Ergo sic paucissimi sunt qui expectare possunt à Deo tanquam à Domino gloriam vt mercedem. Ergo paucissimi sunt qui saluantur; cum salus adultis non obueneat, nisi vt merces seruitii impensi Deo.

VI.  
*Math. 25.*

Quintus locus est *Math. 25.* vbi dicitur *regnum calorum simile decem virginibus; & quinque ex eis fatua, & quinque prudentes;* id est, vt explicat Christus in fine parabolæ, quinque virgines reprobæ, quibus dicitur *Nescio vos:* quinque electæ, quæ admissæ à sponso intrauerunt cum eo ad nuptias. Ergo etiam in statu perfectissimæ virginitatis, totidem à Christo ponuntur virgines reprobæ, quot electæ. Ergo hinc manifestè arguitur in statu imperfecto, qualis est status communis adulterorum fidelium, plures esse reprobos quàm electos; cum valde recedat hic status communis à statu perfectissimo virginitatis. Quod expendens Gregorius homilia 12. in Euangelia, dicit *Redemptoris voce decem Virgines, omnes dici virgines: & tamen non omnes intra beatitudinis ianuam receptas.* Vnde infert *non solum nos debere praua opera fugere, & mundi huius inquinamenta deuitare, sed etiam cum magna cautela tenenda bona, quæ agimus; ne appetitus laudis subrepat, &c.* Quod vanæ gloriæ peccatum inter leuissima computatum, ponitur tot virginibus causa fuisse reprobationis. Chrysostomus homilia 79. in *Math.* dicit hanc parabola à Christo positam, vt ostenderet *virginitatem, quamuis verè habeatur si misericordia bonis caruerit, cum fornicatoribus eici.* Defectus autem in misericordia non solet grauius æstimari. Status autem virginitatis, qui à Cypriano lib. de disciplina & habitu Virginum dicitur *flos Ecclesiastici germinis, & illustrior portio gregis Christi,* talem numerum efficit reproborum, vt à Christo dicantur quinque Virgines reprobæ, & quinque electæ. Hoc autem non dictum est ad dehortandum à statu

*Gregorius.*  
Virgines factæ ob vanam gloriam reprobata.

*Chrysostom.*  
Virgines factæ ob immiseriam damnata.

*Cyprianus.*

statu virginis, qui proximus est statui Angelico; sed, ut aduertit Chrysoſtomus loco citato, *Ne quis ea perfecta se totum fecisse existimaret*: cum dentur etiam virgines fatuæ & reprobæ. Quod expendens Caietanus in Matth. cap. 25. *Terribilis, inquit, sententia, quia media tantum pars fidelium, quorum lucent tam bona opera quam studia ad obuiandum sponſo, prudens, ac per hoc saluanda describitur.*

Chrysoſt.

Caietanus.

Sextus locus est 1. ad Cor. 10. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt: & omnes mare tranſierunt: & omnes in Myſoe baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri. Et infra: Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Duo dicit Apostolus, Primum est, patres Hebræorum, idest, eos qui decesserunt ex Ægypto, ut peruenirent ad terram promissionis, fuisse omnes baptizatos in nube & in mari; nempe præcedente columna nubis, in mari rubro, per figuram scilicet veri Baptismi: & omnes eandem escam ſpiritualem manducasse; nempe manna, quod ſpiritaliter figura erat Eucharistiæ: & omnes eundem potum ſpiritualem bibisse de ſpirituale conſequenti eos petra: non quod petra, quæ scaturiuit aquas Num. 20. dimota sit de ſuo loco miraculoſè, & ſecuta per desertum Hebræos, ad perpetuam aquarum ſcaturiginem, ut ſomniarunt Rabbinii: sed quia omnes eundem potum fidei bibebant de ſpirituale conſequenti eos petra: petra autem erat Christus, per fidem scilicet in Christum venturum, Abrahæ iam pridem promiſſum. Et tamen non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto. Quippe egreſſi de Ægypto cum ſexcentis ferè millibus pedum, absque paruulis & mulieribus, ut dicitur Exod. 12. non intrarunt terram promiſſam, præter Caleb & Iosue, ut habetur Deut. 1. Alterum, quod dicit Apostolus est, hæc omnia in figura contingiſſe illis, quia scilicet terra promiſſa figura erat æternæ patriæ: desertum, figura erat huius vitæ: Hebræi baptizati in mari rubro, & credentes in Christum venturum, figura erant fidelium, qui sunt in Ecclesia post Christum. Pharao, & Ægyptii omnes demerſi, figura reproborum infidelium: Hebræi mortui in deserto, & non intrantes terram promiſſionis, figura reproborum ex fidelibus: Iosue & Caleb intrantes in terram promiſſam, figura electorum; ut expreſſe docet Gregorius in Pſalmos ſeptem pœnitentiales. Ergo ex hoc habetur intra fideles Ecclesiæ tanta paucitas ſaluandorum, eorum scilicet qui ingrediuntur terram promiſſam, ut designetur per ſolos Iosue & Caleb, nempe per ſolos duos comparatos ad infinitam multitudinem ab eadem terra promiſſionis excluſam. Videtur argumentum Origenis hom. 21. in cap. 26. Num. vbi, *Terra, inquit, huius (terræ promiſſionis) diui-**

1. Cor. 10.

Num. 20.  
Petram ſcaturientem aquas, ſequacem fuiſſe populi per desertum ſomniarunt Rabbinii.

Iſtaëlita in deserto fidelium Chriſtianorum figura, Exod. 12. Deut. 1. Iosue & Caleb ſoli ingreſſi terram promiſſionis paucitatem ſaluandorū designant. Gregorius, Origenes.

tionem, hereditatemque terrenam speciem dicimus tenere, & imaginem futurorum, ac formam celestis illius hereditatis ostendere. Requirō in illa, qui sint plures, & qui sint pauci; & inueni ibi beatiore paucos haberi, quam plures, &c. prosequens hoc argumentum, quod pauci sint qui saluantur. Disertè id ex hac figura collegit August. serm. 102. de tempore, vbi, *Non transitoriè, inquit, nec negligenter, sed cum ingenti tremore considerandum est, quia de sexcentis millibus duo tantum terram repromissionis ingressi sunt. Hoc ergo audiant, qui ita Dominum misericordem esse volunt, ut iustum esse non credant.*

Confirmatur, quia si in Israëlitis qui ante aduentum Christi populus Dei erant, non figuram, sed rem ipsam inspiciamus, prædestinati ex iis numerantur Apoc. 7. duodecim millia è singulis tribubus, excepta tribu Dan, & substituta loco eius tribu Leui: qui conficiunt numerum centum quadraginta quatuor millium, & hos solos ex Hebræis prædestinatos esse affirmat Bellarminus libello citato, & alii in eum locum. Hic autem numerus, per tot sæcula ab Abrahamo vsque ad Christum, minimus omninò est comparatus ad totam Hebræorum multitudinem. Quippe Dauide regnante numerata sunt ex Israel mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum, Paralip. 1. cap. 21. & ex numero hostiarum, quas in Paschate recenset Iosephus lib. 2. bell. Iud. cap. 17 colligit eruditissimus Raynaudus in libello de sancto Latrone, tempore Paschatis convenire solitos Hierosolymis, quadragies centum, & centum hominum millia. E tanto Hebræorum numero per tot sæcula toties replicato computantur solùm centum quadraginta quatuor millia signati, idest iuxta communem expositionem prædestinati & electi. Quod in his accipiatur numerus certus pro incerto, vt volunt Cornelius, & alii, saltem genericè verificatur: vt aduertit Viegas in eum locum, multò minorem esse numerum signatorum, idest electorum ex Iudæis, quàm sit reliqua multitudo ad eandem synagogam spectantium. Et sic colligere possumus numerum electorum inter fideles Ecclesiæ, quæ synagogæ successit, multò minorem numero reproborum; cum hoc ipsum, quod non in pluribus eorum beneplacitum sit Deo, in figura factum sit nostri, vt dictum est Apostolo. Quamobrem Irenæus libro 4. aduersus hæres. cap. 46. citans hunc locum Pauli, *Quemadmodum, inquit, ibi (in synagoga) in pluribus eorum qui peccauerunt, non bene sensit Deus: ita & hio (in Ecclesia) sunt vocati multi, pauci verò electi.* Chrysostomus etiam in eum Pauli locum: *Ostendit, inquit, quemadmodum illis (Hebræis) non profuit tanti muneris fructus: ita neque his baptismatis munus & spiritualia mysteria proficere, nisi vitam tali gratia dignam exhibeant.*

VII.  
Augustin.

Apocal. 7.  
Prædestinati  
ex Hebræis  
cent ū qua-  
draginta  
quatuor mil-  
lia.

Bellarmin.  
1. Paral. 21,  
Iosephus.  
Raynaudus.  
Quatuor  
Hebræorum  
milliones  
conuenire  
soliti Hiero-  
solymis die  
Paschatis.  
Cornelius.  
Viegas.

Irenæus.

Chrysost.

1. Cor. 9.

Septimus locus est eiusdem ibidem: *Omnes quidem currunt; sed*

*vnus accipit brauium. Sic currite vt comprehendatis.* Loquitur de brauiio æternæ gloriæ, vt patet ex contextu. Sequitur enim: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quod prius appellauerat *brauium*, postea appellat *coronam incorruptam*. Dicit igitur, sicut ex omnibus qui currunt, non omnes, sed vnus accipit brauium: ita proportionaliter ex multis, qui ad æternam felicitatem currunt, vnus accipere coronam gloriæ. Loquitur autem non de quibuscumque, sed de iis qui iam fideles sunt, & gradiuntur per viam salutis: immo per eam non quomodocumque ambulant, sed *currunt*: & ex iis dicit *ab vno accipi brauium*. Et est planè id quod infra dicitur ex Patribus, inter ipsos fideles *è centum saluari vix vnus*. Non potuit expressius significari prædestinatorum paucitas, quàm à Christo per quinque Virgines, à Moysè per duos intrantes in terram promissionis; à Paulo per *vnus accipientem brauium*. Expendenda etiam sunt duo, quæ addit ad significandam hanc paucitatem. Primum est, *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, &c.* vt ostendat requiri ad accipiendam coronam in agone, vt quis *ab omnibus se abstineat*. Quotus autem quisque est, qui hoc faciat? Alterum quod subdit, est, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne, cum aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar.* Apostolus & Magister Gentium, qui de se dictum nouerat, *Vas electionis est mihi iste*, timet ne efficiatur reprobus, nisi *castiget corpus, & in seruitutem redigat*: idque postquam predicauerat Christum gentibus, & in perpetua virginitate permanerat, vt ipse de se testatur 1. ad Corinth. 7. Apertè ex hoc colligitur mens Pauli de difficultate salutis, & paucitate electorum, à quibus timet excludi vas electionis. Quamobrem Chrysostomus in eum locum, *Quidnam, inquit, nos dicemus, si Paulus hoc timuit, cum talis esset præceptor; cum post predicationem, & orbis terrarum susceptum patrimonium, formidauit?* Et infra: *Nam si predicare, docere, innumeros ad salutem adducere, illi non sufficit ad salutem, nisi se irreprehensibilem exhibeat, longè minùs sufficet nobis.*

Octauus locus conflabitur ex plurimis tum figuris, tum similitudinibus sacræ Scripturæ, quibus electorum intra Ecclesiam paucitas designatur. Prima figura est arca Noë, in qua ex tota hominum multitudine paucissimi saluati sunt. Hæc figura ad hanc paucitatem saluandorum ostendendam in Ecclesia adhibetur, 1. Petri 3. *Quando expectabæt Dei patientiã in diebus Noë, cum fabricaretur arca: in qua pauci, idest octo animæ saluæ factæ sunt per aquam: quod & vos similis forma saluos facit Baptisma.* Dicit arcam, in qua Noë cum paucis saluus factus est per aquam, figuram fuisse Ecclesiæ, in qua fideles salui fiunt per Baptismum. Signanter autem dicit *in arca paucos*, idest *octo animas saluas factas esse*, vt ostendat paucitatem prædestinatorum

Paucitas saluandorum à Paulo significatur per unum accipientem brauium.

Paulus timès reprobari, difficultatem summam ostendit salutis.

1. Cor. 7.

Chrysost.

VIII.

1. Petr. 3.  
Arca Noë figura saluandorum.

in Ecclesia. Quamuis verò hic non fiat comparatio fidelium inter se, tamen cum dicitur paucos saluandos esse in Ecclesia, sicut pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt in arca, respectiue ad reliquos omnes homines, qui tunc in diluuiio perierunt, satis ostenditur tanta in Ecclesia paucitas saluandorum, vt comprehendere non possit præter paruulos maiorem partem aduultorum: nulla enim daretur proportio cum iis, qui in arca octo tantum, respectiue ad reliquos omnes homines, saluati sunt. Diluuium autem illud vniuersale figuram fuisse

Diluuium  
vniuersale fi-  
gura extre-  
mi iudicii.

extremi Iudicii, dicitur etiam à Dauide Psal. 33. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluuiio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Ex hoc diluuiio in Ecclesiæ arca pauci salui fiunt: licet multi sint intra hanc arcam. Ideo subdit ibidem Petrus, *quod & nos similis forma saluos facit Baptisma: non carnis depositio sordium, sed bona conscientia interrogatio in Deum.*

Augustinus.

Quod perpendens Augustinus libro 5. de baptisate contra Donat. cap. 18. dicit *homines in vnitae Catholica baptizatos, qui seculo solis verbis, non factis renunciant, non pertinere ad huius arca mysterium, in quibus non est conscientia bona interrogatio.* Hanc eandem arca

Chrysostr.

figuram ad ostendendam paucitatem electorum affert Chrysostr. libro 1. aduers. vitup. vitæ Monasticæ, vbi: *Cum Christus, inquit, amplio rem peccantium partem assueret, atque in paucis salutem præstinitam dicat, Quid impugnas aduersum me? Prorsus enim idem facis, ac si de Noë & diluuiio nobis verba facientibus admirareris: & an id fieri potuerit, duoque tantum vel tres homines effugerint, interrogares.*

Arca pars  
superior ar-  
ctæ, inferior  
lata paucita-  
tem salvan-  
dorum desi-  
gnat.  
Or genes.

In hoc etiam expendi oportet, quod arca cacumen, seu pars superna, erat arctissima; pars verò inferna erat latissima: vt significaretur in arca Ecclesiæ paucos ad superna deduci plurimos ad inferna. Quod adnotauit Origenes hom. 21. in cap. 26. Num. vbi, *Quam pauci, inquit, sunt qui saluantur, Sed & in arca qua à Noë constructa est, vbi mensura calitus designatur, in inferioribus arca centum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo: summitas in vnius cubiti spatium consumatur.*

Incendium  
Sodomorum  
figura futuri  
jud. cit.

Secunda figura reperitur Gen. 20. vbi Pentapolitanum incendium figura fuit extremi Iudicii; cum Dominus: vt canit Ecclesia, *venerit indicare saculum per ignem.* Loth autem, & tres aliæ animæ ex eo igne saluæ, quo omnes quinque vrbium incolæ perierunt, incendio extendente se per septuaginta duo milliaria in longum, & novemdecim in latum, vt testatur Iosephus lib. de antiqu. Hebr. signa sunt paucorum electorum, qui in eo vniuersali incendio saluabuntur. Quod animaduertens Isidorus Hispalensis alleg. in Script. Loth, inquit, *typum habuit Sanctorum, qui in fine saculi ab impiorum incendio liberabuntur.*

Tertia figura est ingressus paucorum in terram promissionis: de qua

dictum est supra occasione testimonii producti ex Paulo.

Quarta figura est everio urbis Iericho, salva sola domuncula mulieris nomine Rahab, ut habetur in libro Iosue cap. 7. Iericho enim, ut notat Gregorius hom. 2. in Evang. *idem sonat ac Luna, & mundi huius mutabilitatem designat.* Muri autem Iericho *clangentibus tubis illico corruentes*, Iosue 6. mundi figurabant excidium completum extremo die *in novissima tuba*, 1. ad Cor. 15. Rahab autem, quæ sola salvata est cum paucis, figura fuit salvandorum. Dicitur enim ad Heb. 11. *Rahab fide non periisse: & Iac. 2. Rahab ex operibus justificata.* Ideo à Chrysostomo hom. 5. de pœnit. dicitur *admirabilis illa Rahab per pœnitentiam salvata.* Et Iosue 2. dicitur salvata per *signum funiculi coccinei*: quia scilicet, ut notat Ambrosius libro 5. de fide cap. 5. *vexilla Dominica Passionis attollens coccum in fenestra ligavit: ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura vernaret.* Nempe electi omnes, ut notat Rupertus in cap. 13. *per unum salvantur funiculum coccineum, per Crucis & Passionis Christi signaculum.* Si igitur, ut notat Lyranus in eum locum, *Iericho significat civitatem culpæ, quam fecit amor sui, usque ad contemptum Dei*; in hac latissima civitate reproborum electa est ad salutem sola Rahab, quæ erat in medio illorum, ut ait Chrysostomus homilia 5. de pœnit. *velut in lotabro confusa margarita, aurum in luto abjectum, flos spinis confossus, religiosa anima inclusa in loco impietatis.* Hanc igitur comparisonem habent electi ad reprobos, quam domus Rahab ad universam urbem Iericho.

Quinta figura sumitur ex libro Iudicum cap. 7. ubi ex triginta duobus millibus qui erant in exercitu, Gedeon elegit tantum trecentos qui victoriam de hostibus reportarent, reliquos reprobavit. Gedeon autem apertissima est Christi figura, ut expressè Origenes hom. 8. & 9. in lib. Iudicum, Augustinus serm. 108. de tempore, & lib. 7. quæst. in lib. Iud. Theodoretus q. 14. & 15. in lib. Iud. & alii. Idque habetur Isaia 10. ubi dicitur de Christo *sceptrum exactoris superasse, sicut in die Madian*, idest, sicut Gedeon Madianitas. Trecenti igitur electi inter triginta duo mille rejectos, significant electos inter reprobos. Sicut enim fuerunt rejecti, *qui curruerunt genua ut biberent*; & electi, qui hoc non fecerunt; ita, ut notat Origenes hom. 9. in l. Iud. *ille electus est, qui postquam ad aquam Baptismi ventum est, flecti ad terrenas necessitates nescit: qui vitiiis non indulget: neque ob peccati sitim sternitur pronus.* Apertè loquitur de Christianis: ait enim, *postquam ventum est ad aquam Baptismi.* E quibus tota ferè multitudo rejecta dicitur, præter trecentos, qui electi sunt ex eo quod *lambent aquam, sicut lambit canis.* Quippe, ut notat Augustinus in lib. Iud. *quod illi probati sunt, per quos vinceret, qui similes in bibendo canibus dicerentur, significat quod contemptibilia & ignobilia elegit*

Rahab figura prædestinatorum.  
Iosue 7.  
Gregorius.  
Iericho quid significet.  
Iosue 2.  
1. Cor. 15.  
Ad Heb. 11.  
Iacob 2.  
Chrysostom.  
Iosue 2.  
Ambros.

Rupertus.  
Iericho civitas culpæ.  
Lyranus.

Chrysost.

Iud. 7.  
Gedeon  
Christi figura.  
Origenes.  
Augustinus.  
Theodor.  
Isaia 10.  
Trecenti Gedeonis milites figura electorum.  
Origenes.

Coram Gedeone electi, qui lambent aquam ut canes.  
August.

- 3. Reg. 19.* Dominus. Electi igitur à Domino ad vincendos Madianitas, idest dæmones, eam proportionem habent ad reprobos, quam soli trecenti ad triginta duo millia rejectorum. Simile quid habetur lib. 3. Reg. cap. 19. ubi dicitur *Deum dereliquisse sibi in Israël septem millia virorum, quorum non sunt incurvata genua ante Baal.* Ex multitudine pene innumerabili Israëlitici populi, non plus quàm septem millia sibi à Deo reservata paucitatem designant electorum inter fideles.
- Revelaciones S. Birgittæ.* Ideo in revel. sanctæ Birgittæ lib. 1. cap. 56. Christus ei ita dicit: *Sicut dicebatur ad Heliam, qui nullum superesse putabat amicum meum, habeo septem millia, &c. Sic ego, licet multi sint inimici, habeo tamen occultos amicos inter eos.*
- Ezechiel. 9.* Sexta figura habetur Ezech. 9. ubi jubetur Angelus *signare Tau super frontem virorum gementium, & dolentium super abominationibus qua fiebant: & interficere omnes reliquos, incipiendo à sanctuario.*
- Augustinus.* Ex qua figura Augustinus lib. de unitate Ecclesiæ. cap. 13. colligens paucitatem salvandorum ex fidelibus, *De bonorum, inquit, paucitate propter malorum plurium comparationem pauca commemoro.* Et infra. *Vidit Ezechiel signatos quosdam, ne cum malis pariter interirent, de quibus dicitur, qui gemunt, & moerent peccata populi mei, qua fiunt in medio eorum. Populum suum non diceret, quem paucis solis illaesis, perire mox jubet, nisi qui ejus sacramenta gestabant.* Apertè loquitur de paucis electis in comparatione plurium perditorum ex eodem populo Dei. Ex quo, ut notat Origenes homil. 8. in Ezech. *Illi solum hospites reservantur, quos Thau littera, idest crucis pictura, signabat.* Advertendum etiam in hac figura *sex viros*: idest, ut explicat Theodoretus, & alij, *sex Angelos missos ad occidendum: unum verò ad signandum Thau; sex ad reprobos, unum ad electos, illorum multitudinem, horum paucitatem designare.* Idem habetur ex Apocalypsi cap. 7. ubi mittitur etiam unus Angelus ad signandos electos: & cap. 15. *Septem Angeli cum septem phialis plenis iracundia Dei viventis: & cap. 8. introducuntur septem Angeli cum septem tubis: quæ datæ erant ad intimanda supplicia. Et primus Angelus tuba cecinit: & facta est grando, & ignis, &c. Et secundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare: & sic in cæteris septem tubis; quæ datæ sunt septem Angelis. Unus vero Angelus stetit ante altare habens thuribulum aureum de orationibus sanctorum &c. septem Angeli designantur ad supplicia reproborum, unus ad orationes sanctorum.*
- XI. Apoc. 20.* Huc etiam pertinet, quod dicitur in eadem Apocal. cap. 20. ubi *Ioannes vidit mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vita.* Contrà distinguit librum vitæ, in quo electio & opera eorum bona scripta sunt, ab aliis libris, in quibus scripti sunt reprobi, & opera eorum

mala. Quæ expositio patet ex sequentibus. Subdit enim, *indicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris: secundum opera ipsorum; idest, vt interpretatur Hugo; lecti sunt libri; & mortui, idest mali,* Hugo Card. *indicati sunt à Sanctis secundum opera eorum quæ scripta erant in libris.* Liber vitæ vnicus ponitur: libri mortis seu reproborum plures: vnus ille, quia paucos continet saluandos: multi hi, quia multos continent damnandos. Quod adnotans Viegas in hunc locum, *Multi,* Viegas. *inquit, libri ad reprobos, vnicus libellus ad prædestinatos, spectabat: Cum enim multi sunt reprobi, multos oportet esse libros in quibus describantur. Quia verò, electi pauci numero, si cum reprobis comparentur, vnus, isque perexiguus libellus iis omnibus notandis sufficiet.*

Septima figura est probatica piscina, quæ, vt habetur Ioan. 5. erat Ioan. 5. *quinque porticus habens. Ex his iacebat multitudo magna languentium cacorum, claudorum, aridorum expectantium aqua motum.* Ex tanta multitudine ad descensum Angeli saluabatur vnus; ille scilicet, qui prior descendisset in piscinam, post motionem aqua. Hæc piscina symbolum erat baptismi, vt notat Tertullianus lib. de Bapt. c. 5. Tertull. *Ambrosius.* *Ambrosius libro 1. de Spiritu sancto cap. 7. Chrysostomus in eum Chr. sostom.* *locum Ioannis, vbi, cum vellet, inquit Deus appropinquantis baptismi fidem nos erudire, morbos per aquam expulit. Ideo lectio Syriaca probatica piscina figura baptismi.* *pro piscina vertit baptisterium. Angelus descendens in piscinam est ipsemet Christus appellatus Isaia 9. iuxta lectionem Septuaginta, magni consilii Angelus, cuius virtute aqua baptismalis mouetur, seu Angelus descendens in piscinam figura Christi.* *eleuatur ad producendam gratiam. Mirabile tamen est, quod cum per aquam baptismalem sanantur omnes, per aquam probaticæ piscinæ, vt ibi notat Augustinus, saluabatur vnus; & postea quisquis veniret, non sanabatur. Nimirum eo mysterio non aliud videtur posse significari, nisi Christianis post baptismum, perfectam & consummatam salutem, quæ in prædestinatione consistit, tam paucis obtingere, quasi è multis saluetur vnus. Quod fortasse significatur designat.* *etiam Isaia 27. Congregabimini vnus, & vnus filii Israël. Figuratum Isaia 27.* *id etiam fuit in vna vidua, ad quam missus est Elias; & in vno leproso Præd. stinatorum paucitas signatur per unitatem.* *quem mundauit Elisæus. Quod expendens ipsemet Christus Luc. 4. Luca 4.* *Multi, inquit, vidua erant in diebus Elia in Israël, quando clausum est calum, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidonia ad mulierem viduam, & multi Leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta: & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Præterea Cantic.* *id etiam innuitur Cant. 6. vbi dicitur quod Salomoni sexaginta erant Cantic.* *Regina, octoginta concubina, & adolescentularum non erat numerus. Ex his vna columba, vna dilecta. Ex omnibus vnus leprosus mundatus: è plurimis vna Salomoni dilecta: ex innumeris vnus ex probatica piscina sanatus. Certè cum hæc mysterio non vacent, significant id quod infra dicetur è Sanctis, è decem millibus saluari vix vnum. Hæc quoad figuras.*

Gen. 22.

ad Rom. 4.

Prædestinati  
stellæ, repro-  
bi, arena.

Dan. 12.

Quod verò attinet ad similitudines. Prima similitudo sumitur ex Gen. 23. vbi Abrahæ dicitur, *Multiplicabo semē tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in litore maris.* In hoc expende, quod Abraham dicitur ad Rom. 4. *pater omnium credentium*: & sic semen ipsi promissum, sunt omnes credentes. Præterea, assimilantur hi rebus valde dissimilibus, nempe *stellis cæli, & arena maris.* Nempe electi stellis cæli, vt dicitur Dan. 12. reprobis autem arenae maris huius sæculi fluctibus agitatae. Stellæ autem licet multæ sint, & ex artificiosa quadam dispositione innumerabiles videantur, non transcendunt ea quæ apparent, numerum mille & duarum supra viginti, vt Mathematici testantur. Hæc paucissimæ sunt respectu numeri arenarum, quæ per omnia littora non solum superficie tenus, sed etiam vsque ad profundum in quantitate adeo minima coaceruata & conspissata cernuntur: & ideo dicitur loco citato specialiter de arena maris, *quæ præ multitudine numerari non potest.* Electi igitur in comparatione reproborum, sunt stellæ cæli in comparatione numeri arenae maris.

Augustinus.

Est animaduersio Augustini libro 3. contra Cresconium cap. 37. vbi probans paucos saluari, nempe bonos Christianos, qui per seipso multum sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt, subdit infra: *Sic etiam, vt de ipso Dei testamento dicam quod factum est ad Abraham de semine eius, quod est Christus, multæ sunt stellæ, quas numerare non possumus: quibus tam grande calum undique circumfulget, & paucas dicimus in comparatione arenae maris. Fortè stellæ signauerunt spirituales Christianos: maris autem arena, carnales.* Hinc colligitur paucitas electorum etiam inter ipsosmet Christianos.

1. Reg. 25.

Prædestinati  
fasciculo  
comparan-  
tur.

Secunda similitudo sumitur ex 1. Reg. 25. vbi appellantur electi, *fasciculus vinentium.* Erit anima Domini mei ( Dauidis ) *custodia quasi in fasciculo vinentium.* Inimicorum autem eius anima rotabitur, &c. vbi Glossa; *Pulcherrima comparatione statum iustorum & reproborum discreuit: quia scilicet, vt ibidem Lyranus, sicut ramusculi fasciculo ligantur, & in aqua ponuntur, & postea transplantantur; sic iusti transplantantur in terra vinentium.* Sed, quod ad rem nostram facit, electi comparantur fasciculo, qui, vt notat Cornelius in Amos 6. *componitur ex floribus selectis & paucis*: isque aptè significat paucitatem electorum inter fideles. Quippe mundus totus constans ex fidelibus & infidelibus, veluti quidam ager est ex Luc. 6. iuxta expositionem Gregorii hom. 13. in Euang. *Ecclesia fidelium est quasi hortus conclusus, ex Cant. 4. Electi in tota amplitudine & mundi totius & Ecclesiæ, sunt veluti collectus ex hoc horto fasciculus: quia, vt notat Eusebius libro 1. in 1. Reg. Sicut fasciculus vinculis colligatur: ita omnis cœtus Sanctorum eadem fide, spe & charitate constringitur. Et sicut facillimum est fasciculum conseruare; ita electos omnes ab initio vsque ad finem sæculi, Deus sine vilo labore ructur.* Electi ab initio

Mundus  
ager, Ecclesia  
hortus, electi  
fasciculus.

Luca 9.

Gregorius.

Cant. 4.

Eusebius.

initio vsque ad finem sæculi non sunt nisi fasciculus, ad significandum paucitatem electorum. Ideo etiam dicitur Amos 9. *Qui edificat in celo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundavit.* In quem locum Cornelius, *Fasciculus*, inquit, *hic est Sanctorum colligatus vinculo charitatis in terra, vinculo predestinationis in mente Dei.* Quod autem hoc dicatur ad ostendendam electorum paucitatem, aperte Hieronymus in eum locum, *Ille*, inquit, *intelligitur, qui quotidie fasciculum suum fundavit super terram: de quo in Evangelio loquitur, Nolite timere, pusillus grex.* Idem est, ex Hieronymo, *pusillus grex, & fasciculus.* Sicut igitur, ut notat Beda lib. 4. cap. 54. in Lucam, *pusillum gregem electorum nominat ob comparationem majoris numeri reproborum;* ita etiam hic fasciculus ob selectionem & paucitatem electorum. Contrà verò reprobis sarmentis inutilibus comparantur, qui plurimi ex vitibus amputantur. Ideo dicit Ioan. 15. *Si quis in me non manserit mittetur foras, sicut palme, & arefcet; & in ignem mittent, & ardet.* Quod si aliquando reprobi assimilantur fasciculo, pluribus fasciculis, non vnico assimilantur, comburendis in gehenna, iuxta illud Matth. 13. *Colligite primum zizania, & colligate ea in fasciculos ad comburendum.* Vnicus viuentium fasciculus custodiendus in manu Domini ex loco citato sarmentorum plurimi fasciculi colligendi ad comburendum, in quo etiam reproborum pluralitas demonstratur. Quod innuit Hugo Cardinalis in eum locum Matth. vbi, *Fasciculus*: inquit, *electorum. anima custodia in fasciculo: fasciculi reproborum, colligite ea in fasciculos fasciculi culpa; solue fasciculos deprimentes, cum contrà electi sint tanquam vnus viuentium fasciculus custodiendus in manu Domini.* Electi igitur fasciculus ex agro Ecclesiæ, satis demonstrat paucitatem eorum inter fideles.

Tertia similitudo sumitur ex Cant. 2. vbi electi assimilantur lilio, reprobi spinis. *Sicut liliū inter spinas ita amica mea inter mulieres;* siue, ut legit Augustinus, *inter filias.* Dicuntur electi esse inter reprobos, tanquam vnum liliū inter multas spinas. Non satis fuit comparari electos omnes florum fasciculo, nisi etiam, ad ostendendam paucitatem, assimilarentur vni lilio inter spinas quamplurimas. Ut autem appareat sermonem esse de electis in comparatione ad reprobos, non quoscunque, sed fideles, dicuntur esse sicut liliū inter spinas, sic ipsi inter filias, idest inter animas Christianas; quæ, quamuis reprobæ filiæ dici possunt per communicationem Sacramentorū. Est expositio Augustini in libro de vnitæte Ecclesiæ cap. 14. vbi loquens de bonorum paucitate per malorum plurium comparationem. *Est, inquit, in Canticis Canticorum, quod de sancta Ecclesia dictum, omnis Christianus agnoscit, sicut liliū in medio spinarum; ita proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat spinas? propter malignitatem*

Amos 9.

Cornelius.  
Electi fasciculus colligatus vinculo charitatis in terra, predestinationis in mente Dei.

Hieronym.  
Beda.

Ioan. 15.  
Electi fasciculus, reprobi fasciculis exprimuntur.

Hug. Card.

X.  
Cant. 2.  
Electi vt vnum liliū inter multas spinas.

Augustin.  
Peccatores fideles sunt spinæ, & sunt filia.

*morum. Vnde filias vocat? propter communionem Sacramentorum. Dicit autem esse electos inter hos reprobos, tanquam vnum liliu inter plurimas spinas. Vnde infra colligit paucitatem Prædestinatorum inter fideles, vt patebit ex verbis quæ dabuntur infra.*

*Matt. 3.*  
Electi triticum, reprobi paleæ.

*Augustinus.*

Heretici nõ paleæ, sed zizania.

*Augustinus.*

Reprobi paleæ sunt ad aream Eccle. siæ pertinentes, non ad horreum gloriæ.

*Matt. 13.*  
Semen verbi Dei in triplici terra sterile scit, fructum affert in unica.  
*Remigius, & Thomas.*

Quarta similitudo sumitur ex Matth. 3. ubi electi comparantur tritico, reprobi paleis: *Permundabit Deus aream suam, & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili.* Loquitur de reprobis, non quibuscumque, sed fidelibus: tum quia desumuntur ex eadem area, quæ est Ecclesia: tum quia palea habet eandem radicem cum tritico. Ideo Augustinus libro 9. in Euang. in Matth. cap. 11. *Illi, inquit, qui in eadem fide mali sunt palea potius, quàm zizania reputantur: quia palea fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem.* Excludit autem etiam ipsos hæreticos, quos vult non venire nomine paleæ, sed zizania, quia societate solius nominis Christiani in hoc mundo bonis permiscetur. Inter fideles igitur Catholicos electi tritico assimilantur, reprobi paleis, quæ in comparatione frumenti sunt longè plures; ita vt in area vix grana appareant inter paleas. Est animaduersio Augustini in Psal 47. vbi in ea verba, *Suscipinus Deus misericordiam tuam in medio populi tui: (ita enim ipse legit, vbi vulgata templi tui) Populus, inquit, Dei censentur omnes, qui portant Sacramenta eius: sed non omnes pertinent ad misericordiam eius. (non omnes pertinent ad misericordiam electorum) Omnes quippe Sacramentum Baptismi accipientes Christiani vocantur: sed non omnes dignè illo Sacramento viuunt. Tamen, propter speciem pietatis, in populo Dei nominantur: quomodo ad aream, quando trituratur, non solum grana, sed etiam palea pertinet. Numquid & ad horreum pertinebit? Et infra: Non possumus negare paleas esse malos, & tam plures, vt inter eos prorsus boni non appareant: quomodo non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare, quod sola sit palea. Vnde patet, ex Augustino, reprobos fideles, de quibus expressè loquitur, esse respectu electorum veluti quamplurimas paleas respectu paucorum frumenti granorum: ita vt possit putari ferè omnes esse reprobos: sicut quisquis aream videt, potest putare quod sola sit palea*

Quinta similitudo sumitur ex Matth. 13. vbi dicitur *verbi Dei semen aliud cecidisse secus viam, aliud in petram, aliud in spinas; aliud in terram bonam. Quatuor ponuntur loca; in quæ semen verbi Dei cecidit. Tria dicuntur recipere semen frustra: & sic pertinent ad reprobos. Vna tantummodò ex his quatuor dicitur terra bona. Quæ, vt notat ex Remigio sanctus Thomas in catena, est fidelis conscientia electorum: qua verbum Dei cum gaudio, desiderio, & cordis deuotione suscipit: inter prospera, & aduersa similiter conseruat, & ad finem perducit. Ecce prædestinationem ad finem perductam in vnica*

terra bonorum inter plures malas. In quo observandum est sermonem esse de terris, in quas jactum est semen Evangelii. Ex his inter quatuor terra bona non nisi una. Et hæc *quæ fructum affert in patientia*: idest, ut explicat Gregorius hom. 15. in Evang. per multas tribulationes, & passiones. *Terra bona, inquit, fructus per patientiam reddit: Cum calcibus truditur oliva, concussionibus exprimitur. Per trituram grana separantur à paleis: & ad horreum purgata perveniunt.* Hoc paucis inter infideles contingere experientia demonstrat, ut jurè triplex à Christo assignetur terra mala, & reprobata; unica terra bona, & electa.

Gregorius.  
Patientia sola fructum reddit in terra bona.

Sexta similitudo sumitur ex 2. ad Tim. 2. ubi assimilatur electi vasis aureis, & argenteis; reprobi vasis ligneis, & fictilibus. *Nonne, inquit, in magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea; sed & lignea, & fictilia: & quedam quidem in honorem, quedam in contumeliam.* Quod aperte electis & reprobis applicat ad Romanos 9. appellans electos *vasa misericordie*, reprobos *vasa iræ*. Sicut igitur ex eadem terra, quæ producit cretam, & aurum, fiunt vasa cretacea, & vasa aurea; sed multò plura cretacea, quàm aurea; quæ in comparatione vasorum fictilium perpauca sunt, & ex ipsa paucitate habentur in pretio: ita ex eadem terra humanæ naturæ, quæ *de terra est, & terrena*. 1. ad Cor. 15. multa fiunt vasa testacea, idest reprobi: & pauca vasa aurea, idest electi. Quod, quia fit dependenter à propria cuiusque voluntate bona, vel mala, ideo in hunc locum Chryostomus: *Non naturæ, inquit, carnalisque necessitatis est aureum esse, vel fictile; sed nostra tantummodo voluntatis.* Hæc eadem similitudo affertur loco supra cit. 4. Esdræ cap. 8. illius auctoritatis, de qua tunc diximus, ubi: *Dicam, inquit Angelus, coram te similitudinem. Quomodo interrogabis terram, & dicet tibi quoniam dubit terram malam, magis unde fiat fictile, parvam autem pulverem, unde aurum fit: sic & atas presentis seculi: multi quidem creati sunt: pauci autem salvabuntur.* Ex his apparet quocumque nos verterimus ad scripturas sive novi, sive veteris testamenti; sive ad verba, sive ad figuras, semper in iis terribile nescio quid modò exprimi, modò adumbrari de paucitate electorum. Ut meritò de hac possit enunciari, quod in alia materia scriptum reliquit S. Leo serm. de Transfiguratione, *nihil esse hoc firmitus, quod veteris, & novi testamenti concinit tuba: dum cum Evangelica doctrina antiquarum protestationum instrumenta concurrunt.*

2. ad Tim. 2.  
Electi vasa aurea, & argentea, reprobi vasa lignea & fictilia.  
Ad Rom. 9.

1. ad Cor. 15.

Esdræ 8.

S. Leo.

## CAPVT IV.

Suadetur idem ex Patribus.

XI.

**P**robatur idem secundò ex Patribus, qui consonant Scripturis, Præter testimonia earum occasione adducta, & alia rationibus interferenda.

Origenes.

Primum testimonium sit Origenis in cap. 22: Matth. tract. 20. ubi: *Si quis consideret, inquit, multitudinem hominum, qui in Ecclesiis congregantur: & discusserit quanti sunt, qui versantur disciplinate, & reformantur novitate sensus, quanti autem negligentissime conversantes conformantur huic seculo, videbit quod verus est sermo Domini, multi vocati, pauci autem electi.* Apertè loquitur de fidelibus adultis, qui congregantur in Ecclesiis; & ex his dicit paucos esse prædestinatos comparativè ad multitudinem aliorum, qui negligentissime conversantes, &c.

Chrysofom.

De paucitate saluandorum testimonium terribile. Antiochiæ prisce magnitudo.

Secundum testimonium sit Chrysofomi homil. 4. ad popul. Antioch. *Quot, inquit, esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum quidem est, quod dicturus sum; dicam tamen. Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur, quin & de iis dubito.*

Romæ antiquæ quatuor milliones civium, Ierosolymæ tres. Eusebius.

Testimonium hoc est valde terribile, si expendatur, Antiochiam, ætate Chrysofomi, fuisse inter Asiæ urbes civibus frequentissimam. Tres enim ponuntur urbes totius Romani Imperii maximæ, Roma, Alexandria, Antiochia. At Romæ censâ esse civium capita quadragies centena millia tradit Eusebius in Chronico. Qui etiam testatur tricenas centena hominum millia fuisse Hierosolymis cum obsessa fuit à Tito. Ut ex hoc appareat Antiochiæ amplitudo, quæ tertia numerabatur post Romam. Vbi minimùm contineri oportebat, etiam post aliquod decrementum, quingenta, aut sexcenta hominum millia. Qui tunc temporis Christiani omnes erant, immo *primum cognominati sunt Antiochiæ discipuli Christiani.* Act. 11. Hæc ab ipso Petro Apostolo, qui ibi primam sedem per aliquot annos posuit, ac postmodum à sancto Ignatio martyre religionis ac pietatis lac fluxerat, fide usque ad Chrysofomi ætatem incorrupta. In hac ergo urbe affirmat Chrysofomus è quingentis aut sexcentis millibus hominum salvari vix centum homines; quod est dicere quingenta, aut sexcenta novem hominum millia, & nongena damnari; immo de illis centum, qui supersunt, an salventur addubitari. Quod admirabile, & tremendum omnino est: etiam si demus eam urbem non transcendisse capita civium centum millia: ita ut è singulis millibus salvetur vix unus: de quo dici possit juxta illud Cant. 5. *electus ex millibus.*

Act. 11.

Prædestinati unus ex millibus. Cant. 3.

Respondet Granadus, hæc à Chrystostomo dicta esse hyperbolicè ad *Granadus.*  
deterrendos homines à peccatis. Sed contra est primo: quia hyper-  
bolæ huiusmodi non debent fieri in doctrinalibus; qualis est sententia  
de paucitate, vel multitudine prædestinatorum; aliter multa alia à  
Patribus tradita reduci possent ad hyperbolas. Secundò, hæc hyper-  
bole prolata per modum simplicis veritatis, si Chrystostomus aliter  
sensisset, aliter dixisset, continuisset mendacium: quod indignum est  
ore illo aureo non nisi aureæ veritatis magistro. Quippe non potest  
mendacium ex natura sua illicitum licitari ex quocunque bono fine:  
etiam si ex eo penderet salus totius orbis. Neque enim Deus ad con-  
uertendos peccatores eget nostris mendaciis: neque debet præsumi in  
re tam graui errasse eos, quos dedit Deo Ecclesiæ suæ Doctores. Ter-  
tiò denique, etiam dato hoc fuisse à Chrystostomo exaggeratè dictum,  
quod sint centum electi præ quingentis millibus, aut minimùm, pro  
centum millibus reprobis: non potest tamen eò vsque excurrere exag-  
geratio, vt saltem diminuendo dictum Chrystostomi vsque ad partem  
decimam, non sit eius iudicio vnus pro centum. Quod ipsum esset  
admittere inter fideles minimam partem electorum respectu multi  
maioris numeri reproborum

Tertium testimonium est Ambrosii lib. 2. de pœnit. cap. 10. vbi, *Pœnitentia*  
*Facilius*, inquit, *inueni, qui innocentiam seruauerit, quam qui con-* vera diffici-  
*gruè pœnitentiam egerit.* Vndè arguo. Inter adultos fideles non lior, quàm  
saluantur, nisi aut innocentes, qui numquam mortaliter peccauerunt: innocenti-  
aut pœnitentes, qui pœnitentiam congruè egerunt post peccatum. *Ambrosius*  
Sed certum est inter fideles paucissimos reperiri planè innocentes: ita  
vt dici possit, *Beatus vir, qui inuentus est sine macula.* *Quis est hic,*  
*& laudabimus eum. Fecit enim mirabilia, &c.* Eccl. 31. ac si diceret, *Eccles. 31.*  
miraculo indigitari posset vnus inter mille. Sed, ex Ambrosio, pau-  
ciores reperuntur congruè pœnitentes. Ergo inter adultos fideles, ex  
Ambrosio, collecto numero innocentium, qui sunt paucissimi, &  
congruè pœnitentium, qui sunt pauciores, non saluantur nisi per pau-  
cissimi. Confirmatur ex eodem ibidem, vbi explicans quid sit post *Ambros.*  
peccatum pœnitentiam verè, & non fictè agere, *An, inquit, quisquam* Ad pœnitenti-  
*illam pœnitentiam putat, vbi acquirenda ambitio dignitatis, vbi* tiam veram:  
*vini effusio, vbi ipsius copula coniugalis vsus? Renunciandum est se-* quid requi-  
*culo: somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat: inter-* ratur.  
*pellendus est gemitibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus ora-*  
*tionibus. Viuendum ita, vt vitali huic moriamur vsui: se ipsum sibi*  
*homo abneget, totusque mutetur.* Hæc Ambrosius. Cui consonant  
Patres alii, Ephrem, Chrystostomus, Hieronymus, Augustinus, Gre-  
gorius supracitati tract. primo, capite quinto, vbi de pœnitentia vera  
& fructuosa: quæ relegendi poterunt, vt videatur quid requirant Patres  
ad hoc, vt quis saluetur per pœnitentiam. Cum igitur inter adultos

fideles innocentia reperiatur in paucissimis : & salus non sit, nisi per innocentiam, aut per pœnitentiam : & vera pœnitentia, juxta Ambrosium, in paucioribus sit quàm innocentia ; manifestè sequitur inter adultos fideles salvari per paucos.

Augustinus.

Quartum testimonium sit Augustini libro 3. contra Cresconium cap. 66. ubi, *Solve, inquit, questionem, quomodo ipse Dominus dicit, quia arcta & angusta est via que ducit ad vitam : & pauci sunt qui inveniunt eam. Et idem ipse alibi dicit, Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c. Et infra : Quomodo iidem sunt pauci, qui multi ? Neque unum horum est verum, alterum falsum : cum sit utrumque divina veritate prolatum : nisi quia iidem ipsi boni verique Christiani, qui per seipfos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque ( Christianorum ) iidem pauci sunt. Expresse fit comparatio non inter omnes homines, sed inter Christianos bonos & malos ; & dicitur bonos, qui salvantur, esse multos absolute : paucos comparative, respectu malorum, qui non salvantur.*

XII.  
Christi re-  
sponso de  
paucitate  
salvatorum.

Quintum testimonium sit ejusdem libri. 3. 2. de verbis Domini, ubi explicans illa verba Luc. 3. *Domine, si pauci sunt, qui salvantur ? Dominus, inquit, ad hoc quid ? Non ait, non pauci, sed multi sunt qui salvantur. Non hoc dixit : sed quid dixit ? Contendite intrare per angustam portam. Quando audis ergo, Pauci sunt qui salvantur, confirmavit Dominus, quod audivit, dicens, Per angustam portam pauci intrant. Alio loco ipse ait, Arcta via est que ducit ad vitam : & pauci sunt qui ingrediuntur per illam. Quid gaudemus ad multitudines ? Audit me : pauci : scio quia multi auditis, & pauci obauditis, id est obeditis. Ecce comparisonem facit inter eos ipsos fideles adultos, qui eum audiebant. Quare & subdit, Arcam video, grana non video : & vix videntur grana, quando arca trituratur ; ( respectu scilicet multitudinis palearum quæ excernuntur ; ) sed futurum est, ut ventiletur. Pauci ergo, qui salvantur, in comparatione multorum perituro- rum. Nihil clarius, cum loquatur de iis fidelibus, quos videbat in Eadem Ecclesia, tanquam in eadem arca.*

Augustinus.  
Cant. 2.

Sextum testimonium sit ejusdem Augustini in Psal. 48. ubi, cum dixisset ex Cant. 2. *Sicut lilium in medio spinarum, ita amica in medio filiarum, id est inter illos qui Sacramenta habent, & bonos mores non habent, ut ex eodem explicavimus supra, movens hanc questionem in terminis, utrum inter fideles plures sint electi quàm reprobis : Iam, inquit, hinc occurrit unicuique cogitanti. Iste populus, qui in medio populi Dei suscipit misericordiam ( id est qui sunt misericorditer electi ex toto populo Christiano ) quantum numerum habeat. Ecce quæsitum : audi responsum : Quàm pauci sunt ! vix invenitur aliquis. Tum objicit sibi ex ore id negantium, Illis ne contentus Deus erit, & perdet tantam multitudinem ? Dicunt hoc, qui*

sibi promittunt hoc quod à Deo promittente non audierunt. Respondet objectioni, & probat quod dixerant, vix inuenitur aliquis, ex paucitate obseruantium præcepta Dei. Quot sunt illi qui videntur obseruare præcepta Dei? Vir inuenitur vnus, vel duo, vel paucissimi. Ipsos solos Deus liberaturus est, & ceteros damnaturus? (Ecce alia obiectio) Absit inquit: cum venerit, & videbit tantam multitudinem ad sinistram, miserebitur, & indulgentiam dabit. (Refellit objectionem) Hoc planè etiam serpens ille promisit primo homini. Nam minatus Deus erat mortem, si gustaret: ille autem absit, inquit, non morte moriemini: ac si diceret, similis suggestio serpentis est, Non damnabimini. Hæc ad decipiendos homines serpentina vox est, ideoque infra concludit hæc argumenta, quæ multitudinem electorum suadent præ reprobis, tanquam suggestiones diaboli rejiciendas. Ergo, inquit, non audiamus tales voces: nec putemus paucos esse istos: (idest ita paucos, sicut dixerat; vnus vel duo) multi sunt: sed inter plures latent. Non possumus enim negare plures esse malos, vt inter eos prorsus boni non appareant. Testimonium hoc Augustini alieno loco in Psalmorum explicatione prolatum; non sine speciali Dei prouidentia vltro in oculos meos incurrit, dum hæc scriberem. Neque vllam patitur solutionem; expressè quæstionem mouerat de paucitate saluandorum inter fideles: & eandem probet non ex infidelitate multorum, sed ex paucitate eorum qui præcepta non seruant inter eosdem. Vnde concludit ita, Malos plures esse, vt inter eos boni prorsus non appareant. Malos autem & bonos intelligit finaliter inuentos malos vel bonos; cum quæstionem mouerit de iis, quos Deus liberaturus est, & damnaturus.

Per multos saluari, cauendum ne sit serpentina suggestio.

Septimum testimonium est Gregorii homilia 19. in Euang. in ea verba, Multi vocati pauci electi. Ad fidem, inquit, plures veniunt; & ad Regnum cœlestè pauci perducuntur: Ecce enim ad hodiernam festiuitatem quàm multi conuenimus, & Ecclesie parietes implemus. Et tamen quis scit, quàm pauci sint qui in illorum electorum grege numerentur. Loquitur apertè inter fideles Catholicos, qui conueniebant ad Ecclesiam: neque dubitat de paucitate, cum priùs absolutè dixisset, ad fidem plures veniunt: pauci perducuntur ad regnum: sed tantùm dubitat hæc paucitas quanta sit.

Gregorius.

Octauum testimonium sit sancti Nili Abbatis, complectens testimonia plurium. Hic, vt refert Baronius tomo 10. Annal. ad annum Christi 976. cum à Theophylacto Calabriae Metropolitano argueretur quod probaret reuelationem factam sancto Simeoni Stylitæ, quod ex decem millibus vix reperitur vna anima hoc tempore, quæ ad manum Sanctorum Angelorum perueniat, idest quæ saluetur; respondit: Si demostrauero vobis magnam Basilium, & Chrysostomum, & Ephrem beatissimum, & Theodorum Studitam, sed & Apostolum ipsum, sed

S. Nilus.  
Baronius.  
XII I.  
Ex decem millibus vix vnus saluari doctrina videtur communis Patrum Græcorum,

sanctum Evangelium eadem sentientes, & dicentes; Quid patiemini, vos qui inconsulte aperientes ora loquimini, & Spiritui sancto adversamini; Supponit hanc esse sententiam apud antiquos Patres, præsertim Græcos, communem, eamque & Apostolo & Evangelio tribuit. Advertendum in his non fuisse controversiam de multitudine damnandorum, comprehendendo infideles: ad quod satis erat computare numerum infidelium: sed quæstionem fuisse de adultis fidelibus, quorum salus vel damnatio incerta gignere poterat controversiam de numero salvandorum & damnandorum. Patrum testimoniis, quorum plura interseruimus locis allatis è Sacra Scriptura, addere possumus testimonia sanctorum virorum sibi aliquid ad hoc pertinsens revelatum esse testantium: ac præter revelationem allatam sancti Simeonis Stilitæ.

*Tritem.*

E triginta  
millib. eodẽ  
momento  
expirantibus  
salvati quin-  
que.

Nonum testimonium sit cuiusdam Lingonensis Episcopi, cui, ut refert Trithemius in Chronic. ad annum 1160. Eremita quidam illi antea notus apparuit, qui de statu suo ab Episcopo interrogatus, *Ea* inquit, *hora in qua ego migravi de corpore, triginta hominum millia ex hac luce transferunt: è quibus Bernardus Claravallensis Abbas unà mecum evolavit ad cælos: tres alii ad Purgatorium missi sunt: ceteri omnes per sententiam iusti Iudicis condemnati, ad inferos cruciandi perpetuò descenderunt.*

*Chro. S. Fr.  
S. Anton.*

E sexaginta  
millibus sal-  
vati tres.

Decimum testimonium sit cuiusdam piæ fœminæ, quæ, ut habetur in Chronicis sancti Francisci 2. part. lib. 1. cap. 30. & refert etiam sanctus Antoninus in Chron. 3. part. hist. tit. 24. cap. 9. §. 2. inter concionatoris verba ex contritione mortua, paulò post reviviscens affirmavit, cum ipsâ ante tribunal Dei adducta esse sexaginta animarum millia, quæ in variis mundi partibus simul è vita excesserant: ex iis tres tantum Purgatorio addictos, reliquos omnes ad ignem æternum damnatos. Unde infert Cornelius in num. 14. vers. 30. quod *quam densi hyeme flocci nivis cadunt ex aère, tam densa hominum turba quotidie descendit ad tartara.* Animadvertendum est in supradictis, tum ætate Bernardi, tum Francisci in Europa tota, Septentrione vix paucis hæreticis veluti asperso, Religionem Catholicam floruisse: in Græcia Imperatoribus Christianis nondum schismate infectis: & tamen in tanta amplitudine fidelium, è tot millibus animarum vix salvatæ sunt una vice quinque, alia tres. Ut non immeritò dici possit ad hanc paucitatem salvandorum alludi Ieremiæ cap. 3. *Assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione: & introducam vos in Sion,* idest in cælestem illam Sion, de qua dicitur Apocal. 14. *Vidi, ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo, &c.* In hanc Sion Deus dicit è multis introducturum se *unum & duos.* Idcirco jure dicitur à Christo Matth. 7. *angusta porta.* Angusta dicitur, quæ paucos capit: per quam simul non intrant nisi duo, vel tres: cum contra in infernum simul

*Ierem. 3.*

*Apocal. 14.*

*Matth. 7.*

simul

simul intrent, juxta priorem revelationem, triginta millia; juxta posterio-  
 rem, sexaginta. Ideo dicitur Isaia 5. *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum sine ullo termino.* Et Prou. 30. inter tria insaturabilia, primum ponit infernum: quia, ut ait Hugo Victorinus libro 4. de an. *Infernus est locus sine mensura, profundus sine fundo: & ideo mirum non est quod aperiat os suum sine termino.* Quapropter cuidam viro sancto revelatum traditur, inter paucos salvatos, eos qui intra vnus horæ spatium ad inferos depluerant, *fuisse sine numero.* Quidam præterea Magister Parisiensis, ut refert Diez ser. 2. in festo sanctæ Mariæ ad Nives num. 3. cum apparuisset post obitum Parisiensi Episcopo, seque damnatum proclamasset irrevocabiliter in inferno, addidit *tot animas iis diebus detrusas esse ad inferos, ut vix crederet tot homines in mundo esse posse.* Denique in hoc verificatur quod dixit Angelus Esdræ lib. 4. cap. 8. *Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos: futurum autem propter paucos. Multi quidem creati sunt: pauci autem salvabuntur.* De huius libri autoritate supra.

Isaia 5.  
 Prouerb. 30.  
 Hugo Viã.  
 Inferni ma-  
 gaitudo.

Diez.

Esdr. 4. c. 8.

## CAPUT V.

*Ostenditur idem ex difficultate mediourum ad finem salutis.*

**A**D autoritates Scripturarum & Patrum accedunt argumenta ex rationibus ducta.

Prima ratio sumitur ex difficultate salutis sic. Omnis assequutio finis habens magnam difficultatem in mediis, deficit in pluribus, contingit in paucioribus. Sed talis est assequutio gloriæ respectu quoruncumque adulatorum etiam fidelium. Ergo respectu quoruncumque adulatorum etiam fidelium deficit in pluribus, contingit in paucioribus. Maior probatur, quia quod res difficilior, eò magis accedit ad impotentiam: ergo magis recedit ab actu secundo, qui prodit à potentia. Vnde fit, ut assequutio impossibilis contingat in nemine: assequutio rei valde difficilis contingat in paucis. Minor probatur, tum quia media ad finem salutis sunt contra inclinationem naturalem creaturæ ex se magis propensæ ad amorem sui quàm ad amorem Dei, ut ostensum est tomo 2. Theolog. libro 2. q. 14. Tum quia media ad salutem regulantur à lumine fidei obscure proponente bonum absens, & abstractum à sensibus: media autem contraria proponuntur à causa naturali clarè proponente bonum præsens sensibile. Ex se autem magis inclinatur voluntas ad bonum sensibile præsens, & clarè cognitum, quàm ad bonum abstractum, futurum, & obscure cognitum. Est ratio sancti Thomæ p. p. qu. 23. art. 2. ad 3. ubi dicit, *S. Thomæ. quod bonum proportionatum communi statui natura accidit ut in plu-*

XIV.

ribus, deficit ut in paucioribus: sed bonum, quod excedit communem statum naturæ, invenitur in paucioribus, & deficit in pluribus. Unde infert infra: Cùm beatitudo aterna in visione Dei consistens excedat communem statum naturæ; & præcipuè secundùm quod est gratia (originali) destituta, per corruptionem originalis peccati, pauciores esse qui salvantur. Hæc ibi in generali, quæ militant etiam in adultis fidelibus inter se comparatis.

Matth. 11.  
Violentum  
contingit in  
paucis.  
Aristor.

Confirmatur primò ex Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Violentia autem contingit ut in paucis: quia *violentia contra naturam est*, ut notat Aristoteles in probl. sect. 1. probl. 6. & ideo si quid violentum est, etiam acerbum erit: & si quid molestum, idem etiam violentum, 2. Moral. Eodem. cap. 8. Unde fit, ut perpetuam naturæ violentiam inferre contingat in paucis: idque etiam inter fideles; cùm gratia Euangelica non ordinetur ad tollendam difficultatem, sed ad vincendam: & ideo ipsis fidelibus dicitur, quod *violenti rapiunt illud.* Sicut igitur cymbulæ contra fluvii cursum impulsus non fit nisi violenter, nautis in id contentiosè adniten- tibus: & si processu temporis paululum nautæ de contentione remiserunt, continuò à destinata ripa cymba repellitur: ita profus evenit, dum violenter ad cælum tendimus, contra naturæ cursum, tanquam contra impetum fluvii. Ideoque Christus dixit Lucæ 13. *Contendite intrare*, &c. Quippe, ut expendit Gregorius libro 11. Moral. cap. 26. *Dixit, Contendite: quia nisi mentis contentio ferveat, vici mandati non vincitur: per quam anima semper ad ima revocatur.* Animadvertat Lector, quod reperiuntur inter adultos fideles, qui connumerari verè possint inter eos, qui *violenti rapiunt cælum*: & ex hoc deducat paucitatem electorum comparatiuè ad reprobos.

Violentia re-  
quisita ad sa-  
lutem est ob-  
niti remis  
adverso flu-  
mine.  
Luc. 13.  
Gregorius.

Difficultas  
salutis ex ha-  
bitibus vi-  
tiosis.

Confirmatur secundò ex difficultate orta è variis impedimentis salutis occurrentibus in hac vita. Nam in humano conuictu occurrunt graves occasiones, aut nimii amoris, aut odii: quæ dum diuturnitate temporis adhærescunt, ita radicantur in anima, ut fere impossibile sit ea semel fixa reuellere, ut ostendimus tract. præced. cap. 4. vbi satis probatum est, ex Patribus, pœnitentiæ dilationem ex peccandi consuetudine signum esse reprobationis pene infallibile. Adde his occasiones peccandi innumerabiles ortas, vel ex affectu comparandi diuitias, vel retinendi. Quippe *radix omnium malorum est cupiditas*, 1. ad Tim. 6. Adde appetitum propriæ excellentiæ stimulantem semper ad maiora, cùm fere nemo sit sua sorte contentus. Adde illecebras voluptatum, fraudes, perjuriam, ipsasmet sollicitudines huius vitæ, quæ suffocant semen verbi Dei. Hoc apertè significauit Christus Lucæ 8. sub parabola seminis, dum dicit, *Aliud cecidisse secus viam: aliud inter spinas: aliud supra petram: aliud in terram bonam. Semen est verbum Dei*, ut ipsemet Christus explicat: quod propter

1. Tim. 6.

Lucæ 8.  
Verbum Dei  
in triplici  
terra in fru-  
tuosum,

varia impedimenta in triplici terra fructum non fecit. Nempe, ut loquitur Paulus ad Hebr. 6. *In terra reprobā, & maledictō proxima.* In unica verò fructum attulit in patientia, idest per patientiam in animis electorum, ut explicat Glossa, & alii. Impedimenta igitur sunt causa ut triplex sit terra reprobā: quibus una opponitur terra bona & fructificans. Idque in terris, in quibus seminatum est verbum Dei, nempe inter fideles. Quod colligit Christus ex variis impedimentis salutis, nempe ex voluptatibus, divitiis & sollicitudinibus; quæ sunt impedimenta difficultantia salutem etiam inter fideles.

Confirmatur tertio ex difficultate orta non solum ab intrinseco ex vi naturæ corruptæ, & propensione ad delectabile oppositum honesto, sed etiam ab extrinseco ex vi dæmonum, quorum innumerabiles exercitus obsidentes hunc aërem, toti ad animarum damnationem incumbunt. Quod expendens Apostolus ad Ephes. 6. *Non est, inquit, nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem: sed adversus principatus, & potestates: adversus huius mundi rectores, tenebrarum harum: adversus spiritualia nequitia in caelestibus.* Nempe tales hostes, qui dum nos aut somno, aut aliis necessariis vacamus, ipsi semper vigiles, diū, noctuque, nihil nisi hominum perniciem meditantur. Ut, quemadmodum notat Isidorus lib. 1. de sum. bono, *Qui se continuo damnandos conspiciunt, socios sibi multiplicent: cum quibus gehenna ignibus addicantur.* Adde, ut notat idem Isidorus, *dæmones triplici acumine scientia vigere, scilicet subtilitate natura, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum.* Quia dæmones natura superiores adjuvant alios inferiores. Adde dæmonum odium incredibile contra hominem: contra quem, odium Dei detorquent, tanquam contra imaginem Dei. Quod explicat Basilius hom. in aliquot scripturæ loca, similitudine Pardalis. Nam *sicut hac furibunda hominis imaginem concerpit, atque dilacerat, hoc argumento satis ostendens, quanta sit eius contra hominem inimicitia: sic diabolus in Dei imagine, quo sit erga Deum odio, ostendit, quando Deum ipsum nequit attingere.* Adde occultas diaboli fraudes; & ut ait Cyprianus tract. 3. de Prælat. simpl. *circumveniendi homines tectam, latebro. samsque fallaciam: ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: ut dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur.* Adde apertam ejusdem audaciam; qua, ut notat Augustinus serm. 4. inter communes, *posuit in celo bellum, in Paradiso fraudem, inter paucos homines odium, & in omni opere nostro Rizaniam seminavit.* Nam in comestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in dominatione superbiam. *In corde posuit cogitationes malas, in ore locutiones*

in voica fructum affert. Ad Hebr. 6. Gloss.

XV.

Difficultas salutis orta à tentationibus dæmonum. Ad Ephes. 6.

Dæmonum in homines odium.

Isidorus.

Dæmonum acumen.

Pardalis ex hominis odio furit in imaginem. Basilius.

Dæmonum fraudes. Cyprianus.

Dæmon posuit in celo bellum, in Paradiso fraudem. Augustinus.

Dæmonū la-  
queis mūdus  
vndique ir-  
retitus Anro-  
nio ostensus.  
Athanas.  
Dæmonum  
stragemata  
bellica.  
Salvianus.

Dæmones  
singuli sin-  
gulis affig-  
nati.  
Nyssenus.

Ambros.  
Dæmonum  
persecutio  
gravior,  
quàm tyran-  
norum.

XVI I.  
Difficultas  
salutis ex di-  
strictione di-  
vini iudicii.  
Ad Hebr. 4.

Iob. 4.

falsas, in membris operationes iniquas. In vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad turpia somnia: letos ad dissolutionem, tristes movet ad desperationem. Denique mundus universus diaboli laqueis plenus magno Antonio ostensus est, teste Athanasio in eius vita. ita ut vir ille sanctissimus pœne desperaret posse aliquem ab iis evadere. Quod alia similitudine expressit Salvianus de Provident. lib. 6. ubi Sicut, inquit, exercitus pugnaturi ea loca, per que venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercludere aut subilibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur; ut etiamsi non in omnia quispiam incidat, nullus tamen omnia evadat: ita etiam dæmones tam multas in vita ista prætendunt humano generi illecebrarum insidias, ut etiamsi earum plurimas aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur. Non potuit exprimi clariùs difficultas evadendi è tot laqueis ad salutem. Quod manifestius apparebit in singulis, si dicatur cum Nysseno in vita Moyfis, & aliis, singulis hominibus assignatos esse à Lucifero singulos dæmones: qui oppositi custodibus Angelis toti sunt ad procurandam ejus ruinam, cui trahendo secum ad inferos sint addicti. Contra tot, tamque potentes hostes, tot nostris passionibus, tot mundi & carnis illecebris ad nostram perniciem fœderatos tota vita pugnare, ac tandem victoriam reportare paucorum est: sicut paucorum est cum tyrannis pugnando in persecutionibus fidei martyrio coronari. Immo, si Ambrosio credimus in Psalm. 118. lit. XX. vers. 5: difficultatem hæc cum dæmonibus pugna continere videtur majorem quàm pugna martyrii. Quippe hi, sine gladii terrore, mentem hominis frequenter elidunt: & illecebris magis quàm terroribus animos expugnant fidelium. Hi hostes cavendi: hi graviores tyranni, per quos Adam captus est: & multi in persecutione publica coronati, occulta hac persecutione ceciderunt: Hæc de diabolo victoria tam paucorum est, ut affirmet Ambrosius, multos martyrio coronatos, idest sub tyrannis fortiter gravia pro Christi fide perpeffos, occulta hac persecutione (Dæmonum) cecidisse: quasi erepta illis è capite corona martyrii, quàm tot tormentorum perpeffione pœne perceperant. Hæc de difficultate salutis orta ab extrinseco ex impugnatione Dæmonum.

Confirmatur quartò hæc eadem difficultas salutis ex districtione divini iudicii, in quo examinantur non solum opera externa, sed etiam cogitationes, & intentiones cordium: cum ex Paulo ad Hebr. 4. Deseruo (idest sententia) pertingat usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Hæc districtio divini iudicii declaratur Iob. cap. 4. Numquid homo Dei comparatione iustificabitur? Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauitatem. Quantò magis hi, qui domos habitant lukeas, & terrenum habent fundamentum? Quod si Deus propter vificum, ac momentaneum

peccatum, tantam Angelorum multitudinem, nullo dato spatio poenitentiae, irremissibiliter detru sit ad inferos; satis in hoc ostendit, quam strictè discussurus tantam multitudinem peccatorum in hominibus, non vnico momento, vt Angeli, sed per annos integros contra Deum superbientibus. Ideo Bernardus serm. 2. de verbis Isaia vidi Dominum: *Quid, inquit, putas indifferenter admittet homines ad illud tanta beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos in eo indifferenter reliquit? An non discernet inter glebas, qui discretuit inter stellas? Qualem ergo putas necesse est hominem inueniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur?* Ideo etiam dicitur Iob 25. *Stella non sunt munda in conspectu eius; idest ii ipsi, quorum virtus ita micat in Ecclesia, vt eluceant tanquam stella.* Quamobrem Gregorius lib. 27. moral. cap. 10. *Stella, inquit, non sunt munda: ac si aperte diceretur: si ipsi quoque esse sine contagio non valent, qui inter praesentis vitae tenebras virtutibus lucent: quanto reatu iniquitatis obstricti sunt, qui adhuc carnaliter viuunt? si à peccato esse liberi nequeunt, qui in caelestibus desideriis conuersantur? qua peccatorum pondera tolerant, qui carnis suae voluptatibus dediti, adhuc putredinis iugum portant?* Idem argumentum fieri potest ex eo quod dicitur Sophon. 1. *Scrutabitur Ierusalem in lucernis: sicut fieri solet dum minutissima quæque quærentur.* Si peccata eorum, qui pertinent ad Hierusalem, nempe, iustorum, scrutabitur in lucernis; quomodo scrutabitur peccata eorum qui pertinent ad Babylonem? Præterea dicitur Psal. 74. *ego iustitias indicabo.* Neque mirum, cum pronunciet Isaia cap. 64. *Omnes iustitias vestras tanquam pannus menstruatae.* Quod si iustitiae in conspectu Dei ita sordidae; quid iniquitates & iniustitiae? Denique, vt inferitur 1. Petri. 4. *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Aduerte hoc nomen iusti tribui à Scriptura viris sanctissimis, nempe Noë. Gen. cap. 6. *Noë vir iustus.* Simeoni, cum esset iustus, &c. Lucae 2. & Iosepho sponso Deiparae. *Ioseph autem vir, cum esset iustus, &c.* Matth. 1. *Si iustus vix saluatur, quod iudicium ferendum de impiis?* Ideo sanctus Ephrem serm. de patient. & compunct. *Quis, inquit, horrendum audiens verbum, ad Deum singulis horis clamare cessabit? Ait enim Scriptura, Si iustus vix saluabitur, impius, &c.* Hieronymus etiam libro 2. contra Pelag. quærens quomodo iustus vix saluetur, cum certissimum sit eos qui verè iusti sunt, in iudicio saluari, refundit hoc ad distinctionem diuini iudicii, quod formidant etiam iusti. *Iustus, inquit, vix saluatur in eo quod in quibusdam Dei indiget misericordia. Nam, licet nihil prauis sibi conscius sit, tamen sciens quod non in hoc iustificatur, donec eum Iudex iustificet, formidat & decertat.*

Comprobatur hoc memorabili exemplo, quod narrat Climacus gradu 7. de quodam solitario, qui, cum in loco ab omni humana

Iudicii parti-  
cularis in  
morte seue-  
ritas.

conuersione remoto, pœnitentiam per annos plurimos egisset, in extremum morbum incidens, cœpit coram discipulis, qui postea id narrarunt, circumspicere modò dexteram partem lecti, modò sinistram. Et quasi rationem ab eo quidam exigent, cunctis qui astabant audientibus, aiebat: *Ita sanè: sic reuera est: sed pro hoc (peccato) tot annis ieiunavi. Aliquando verò: non certè; mentiris: hoc non feci. Deinde rursus, ita verè est: sed fl. vi, s. seu ministravi. In quibusdam aliquando aiebat, ita sanè: quid ad hæc dicam non habeo: ideo misericordia est. Erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illud sevissimumque Iudicium, in quo etiam quietis ac solitudinis sectator in nonnullis peccatorum, quid ad ea respondere posset, se non habere dicebat: qui jam fere quadraginta annos monachus fuerat: & lachrymarum gratiam habuerat. Et infra: Hic, cum adeo infesta ab eo ratio exigeretur, caræ solutus est. Quod iudicium, quis terminus, qua sententia, quis rationis finis fuerit, incertum penitus relinquens, Hæc, quam tristitiam miserabilem appellat Clinacus, apertè demonstrat, quid de paucitate prædestinatorum dicendum sit. Si enim Anachoretæ huius alioquin sanctissimi à Sanctis illi Eremitis patribus incertus penitus iudicatus est exitus; quia pro singulis peccatis, quorum ab eo ratio exigebatur, quamuis ad misericordiam Dei confugeret speciales assignare non potuit pœnitentias: manifestè apparet districtio diuini iudicii, & quàm pauci diuini examinis seueritatem evadant, juxta id, quod superius dictum est, *si justus vix salvatur* &c. Et ideo sancti viri hoc iudicium pertinescentes, peccata in se seuerissimè puniunt, assiduis lachrymis, & afflictationibus corporis, iuxta superius dicta tractatu 1. cap. 5. Quamobrem, vt bene advertit Salviatus lib. 4. de Eccles. Cathol. *Si quis vult scire quàm graviter censenda à Deo sint magna crimina, discat qualiter in semetipsis puniant Sancti etiam levia peccata: conscij ex ipsis, Dei dictis futuri examinis.**

Salvianus.

S. Michaël  
librat lanci-  
bus omnium  
opera.

Ambrosius.

Ad significandam huius examinis districtiorem, sanctus Michaël, cuius est repræsentare animas in Dei iudicio, ex usu antiquo Ecclesiæ, depingi solet cum statera, in qua gemino lance librantur pondera operum tum bonorum, tum malorum, vtraque expendenda adammum ad trutinam. Quamobrem Ambrosius lib. de Apol. Davidis, cap. 6. *Habet, inquit, quis bona merita: habet vitia, atque peccata. Omnia itaque nostra quasi in trutina ponderantur. Si bonis igitur factis peccata præponderant, procedunt ad iudicium: Vergunt enim peccata quasi in profundum: & vergunt, vel pondere & acerbitate, vel multitudine.* Expendatur in communitate hominum etiam fidelium, quàm pauca sint opera bona (quandoquidem bonum ex integra causa) & bona non quæcumque, sed supernaturalia, ac meritoria vitæ æternæ: quàm multa sint opera mala, cum malum sit ex singulis de-

fectibus : & quantum bonis mala præponderant , vel grauitate vel multitudine ; cum plures sint libri mortis assignati operibus malis , vnus liber vitæ continens omnia opera bona , vt ex Apoc. 10. notatum est supra.

Ex his ita breuiter formo argumentum. Vbicumque bonis peccata præponderant , ibi præsumitur reprobatio. Sed in communi statu adulatorum , vt in pluribus , peccata bonis præponderant. Ergo in communi statu fidelium , vt in pluribus , præsumitur reprobatio. Maior desumpta est ex Ambrosio. Minor patet experientia , testibus Origene , Chrylostomo , & Augustino mox adducendis. Consequen- tia tenet ex forma. Hæc de paucitate electorum ex distinctione di- uini Iudicii.

Confirmatur quintò ex aliis quæ in Scripturis statuuntur tanquam necessaria ad assequutionem salutis , quibus mensurare debemus pau- citatem aut pluralitatem electorum præ reprobis.

Primò , David Psal. 14. quærens *quis habitabit in tabernaculo tuo* , &c. respondet , *qui inuenitur sine macula , & operatur iustitiam*. Item Psal. 23. mouens idem quæsitum , *quis ascendet ad montem Domini* , &c. respondet , *innocens manibus , & mundo corde , qui non accepit in vano animam suam*. Hæc quàm paucis conueniant , definit Sapiens Prou. 20. *Quis potest dicere , Mundum est cor meum ?*

Secundò , dicitur Matth. 10. *Qui non accipit crucem suam , & se- quitur me , non est me dignus*. Quisquis autem Christo dignus non est , inter prædestinatos non est. Quotus autem quisque fidelium est , de quo verificari possit , quod *accipit crucem suam , & sequitur Chri- stum*. Crucem enim mortificationem Christus intelligit , vt exponit Gregorius hom. 33. in Euang. & , vt notat Euthymius in hunc locum , *crucem vocat Christus mortem ad ea , quæ mundi sunt : quia mortis in- strumentum crux erat : oportet enim eum qui Christum sequitur , mor- tuum esse ad voluptates mundanas*. Quàm pauci dici possunt ad has mortui !

Tertiò , dicitur ibidem : *Qui inuenit animam suam , perdet eam : & qui perdiderit animam suam propter me , inueniet eam* : siue , vt Ioan. 12. *Qui amat animam suam , perdet eam : & qui odit animam suam in hoc mundo , in vitam æternam custodit eam*. Ii igitur qui amant animam suam , idest vitam suam , ii sunt reprobi : qui odio habent , prædestinati. Animaduertatur , quàm rari sint inter fideles , de qui- bus verificari possit , quod propter Christum odio habeant vitam suam. Audiant Apostolum ad Philipp. 2. *Omnes quæ sua sunt querunt , non qua Iesu Christi*. Certè affectus , qui fiunt per causas contrarias , re- cèsentur inter miracula. Magna autem , vt notat Augustinus tract. 51. in Ioan. *& mira sententia , quod hominis sit in animam suam amor vt pereat , odium ne pereat*. Quippe , vt ait Tertullianus in scorpiaco c. 5. *Tercull.*

Paucitas ele-  
ctorum ex  
requisitis ad  
salutem,

Psal. 14.

Psal. 23.

Prouerb. 20.

Matth. 10.

Gregorius.

Ioan. 12.

Amor sui re-  
probationis-  
signum, odi-  
um sui præ-  
destinatio-  
nis.

Philip. 2.

voluit Deus vitam auferendo conferre : carnem ledendo inuare : animam eripiendo seruare. Hæc gratiæ miracula non contingunt, nisi in paucis : sicut miracula in cursu naturæ.

Matth. 18.  
Simplicitas  
puerilis ne-  
cessaria re-  
gno Dei.

Quartò, dicitur Matth. 18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* In quem locum Hilarius : *Non nisi reuersos in naturam puerorum introire in regnum cælorum Dominus docet ; idest, per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum, animarumque reuocanda.* Expendat humana superbia, quàm pauci inter fideles reuerfi sint ad simplicitatem & humilitatem puerorum.

Luca 9.  
Inconstans  
in bono ope-  
re ineptus  
Regno Dei.  
Basilius.

Quintò, dicitur Luc. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Quàm multi deficiunt à cœptis operibus gratiæ, & recidui respiciunt retro ad priora peccata : quos Christus pronúciat prorsus ineptos regno Dei! Quis nolle velit, quid sit retro respicere, audiat Basilium ser. 1. de Bapt. vbi : *Respicit retro : inquit, qui vel breuem moram interponit obedientiæ, quæ Domino sine pretextu vel excusatione, velociter & sine suspensione, præstanda est.* Ad stipulatur Euthymius in eum locum, vbi, *Oportet, inquit, eum qui sequitur Christum, confestim omnia despiciere, & sequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo : ne fortè & habitu & specie eorum quæ à tergo sunt, retineantur.* Hoc est respicere retro : cum quo, ex Christi oraculo, nemo est aptus regno Dei.

Euthym.

Sextò, dicitur ad Romanos 8. *quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Quod explicans ibidem vers. 17. *si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Quàm pauci sunt in quibus Christi imaginem recognoscas : tales de quibus meritò dici possit, esse passos cum Christo ; vt de iis pronuciari possit, glorificandos esse cum Christo ! Quis gloriari potest *adimplere se, quæ desunt passionum Christi*, ad Coloss. 1. siue, vt loquitur Cyprianus epist. 12. *collegam passionis factum esse Christo.*

XVIII.  
Coloss. 1.  
Prædestinati  
collegæ sunt  
passionum  
Christi.  
2 Tim. 4.  
Gloria coro-  
na est non  
misericor-  
diæ, sed iu-  
stitiæ.

Augustinus.

Septimò, Gloria vocatur à Paulo *corona iustitiæ, quam reddet illa die iustus Iudex.* 2. Tim. 4. Expendatur quot sunt qui ita se gerunt, ut exigere possint gloriam tanquam *coronam iustitiæ*, idest suis operibus debitam ex iustitiâ à Domino ; qui, vt notat Augustinus de gratia & libero arbitrio cap. 6. iis, *quibus donauit gratiam misericors Pater, reddit coronam iustus Iudex.* Quia scilicet in hac vita dat gratiam, vt donum ex misericordia : in altera reddit coronam, vt mercedem non nisi ex iustitiâ. Discutiant : an multi possint dicere, vt notat idem Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli : *Deum ita esse sibi debitorem, vt possint illi dicere, Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.*

Octauò, dicitur 2. ad Tim. 2. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi qui legitime certauerit, idest iuxta leges in agone præscriptas.*

Quàm

Quàm pauci autem sunt, de quibus verè dici possit in hac vita certasse, & vicisse: vt his possit præfagium fieri de corona danda victoribus, iuxta illud Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum*, &c. Ideo Chrysostomus serm. de Mart. qui habetur tom. 3. *Delicatus*, inquit, *es miles, si putas posse te sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires: fortiter dimica: atrociter in pralio isto concerta: considera pactum, conditionem attende: militiam nosce: pactum, quod spondidisti; conditionem, qua accessisti; militiam, cui nomen dedisti.* Alludit ad Baptismum, in quo quis Christianæ militiæ ascribitur, sponse baptismati nomine facta, quod *renunciaturus sit diabolo, & pompis eius.* Hoc est esse Christianum, pro Christo militate contra diabolum, & pompam eius. Quàm pauci stant huic promisso! quàm multi à Christi militia transfugæ diabolum sequuntur, & pompam eius! Ideo Augustinus in tract. de symbolo ad Catech. libro 4 cap. 1. *Deprebenderis, inquit, & detegeris, Christiane, quando aliud agis, & aliud profiteris: fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tue fidem. Modò ingrediens Ecclesiam orationes fundens, post modicum in spectaculis cum histrionibus clamans.* Expendatur quàm leuis noxa nunc habeatur, interesse spectaculis, acclamare in comædiis: quod per violationem Christianitatis habetur ab Augustino. Neque mirum, cum hæc inter pompas diaboli numerentur: ideo subdit, *Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renunciasti?* Profectò, nisi nobis blandiri velimus, pauciores sunt qui abrenunciant pompis diaboli, quàm qui non. Ergo pauciores qui seruant pactum & conditionem Baptismi, cum nomen dederunt Christianæ militiæ, quàm qui non seruant. Ergo pauciores sunt inter Christianos, qui sunt vt boni milites coronandi, quàm qui non.

Apocalyp. 2.  
Chrysostom.

In baptismo  
conferri-  
mur Christi  
milites.

Augustinus.  
Spectacula  
histrionum  
pompe dia-  
boli.

Nonò, dicitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et Iacobi 2. *Quicumque totam legem seruauit, offendit autem in vno, factus est omnium reus: quia scilicet vnica vnus mandati transgressio satis est ad reprobandum.* Hoc inter postrema colloco, quia obseruantia omnium mandatorum est certissimum requisitum, sine quo ex adultis saluari neminem in confesso est apud omnes. Examinemus nunc quot sunt qui plenè seruât mādata, vt ex hoc inferri possit quot sint qui saluentur. Est argumentum quod fit passim à Patribus, ad inferendam inter fideles paucitatem electorum. Origenes loco supra citato, *Si quis, inquit, consideret multitudinem qua in Ecclesiis congregatur, & discussisset quanti conuersentur disciplinatè, &c. videbit quod verus est sermo Domini: Multi vocati, pauci electi.* Chrysostomus hom. 40. ad populum Antiochenum, cum dixisset, *in tot millibus non posse inueniri centum qui saluentur*, subdit ad id probandum, *quanta enim in inuenibus malitia? quantus torpor in senibus?* &c. Idem lib. 1. aduers. vitup. vitæ Monasticæ, cum dixisset, *ampliorem esse peccan-*

Matth. 19.  
Iacob. 2.

XIX.

Chrysost.

rium partem, & salutem prænitam in paucis, id statim probat ex communi transgressione mandatorum. Quis, inquit, non fatuum appellat fratrem: cave: id namque igni sempiterno facit obnoxium. Quis non intendit impudicis oculis in mulierem? hoc autem consummatum adulterium plenissimumque flagitium deputatur. Adulter autem, quod sit proiciendus in gehennam, omnibus profectò constat. Quis non deieravit? quis nunquam omnino amicis invidit? Hoc vitio publicanis ipsis & ethnicis deteriores facti. Quod autem huiusmodi effugere supplicia aeterna non possint, ita liquet, ut non possit clarius. Quis furorem omnem atque iracundiam abiicit; peccataque omnium in se delinquentium remisit? At is qui non dimiserit, quod aeternis suppliciis adiciendus sit, nemo qui Christum audierit, refragabitur. Quis non servit mammona? sed qui huiusmodi servit, Christi servitute abiicit: qui verò Christo servire abnuit, salutem suam penitus abnegavit. Quis oculis nulla in aliquem maledicta contexit? Eos autem qui sunt huiusmodi, vetus quoque Lex iubet interfici. Et infra ita concludit: Omnes veluti ex signo quodam per vitiorum ac flagitiorum omnium abrupta feruntur. Hæc ætate Chrysostromi; in qua pene ubique terrarum florebat Christiana pietas, ac religio.

Christianus  
dignosci de-  
bet ex mori-  
bus.  
Chrysostr.

Peccator non  
habet Chri-  
stianitatis in-  
dicium.

Peccator nec  
fidelis agno-  
sci potest, nec  
homo, nume-  
randus in fe-  
ris.

Non prætermittam alium insignem locum eiusdem Chrysostromi hom. 4. in Matt. ubi ex communi transgressione mandatorum, ostendit paucitatem Christianorum, qui verè Christiani sint: & ex operibus discerni possint ab infidelibus: & per consequens ostendit paucitatem electorum: cum in adultis necessarium requisitum prædestinationis sit fides probata per opera. Locus est prolixior: excindam aliqua. Fidelis, inquit, non modò à communione mysterii, sed etiam ex novitate vitæ debet agnosci. Fidelem enim sal esse convenit, & luminaria mundi. Sin verò ne tibi quidem ipse luceas, & ne propriam quidem putredinem, fetoremque detergas, quibus indiciis possente fidelem agnoscere? Si ex loco te scire curavero, in circo te, theatroque conspiciam, totos dies in vanissimis illis cætibus exigentem; vel in foro corruptis honoribus, pestiferisque coniunctum. Si ex motibus, corporis notitiam tui habere quasiero, videbo te horrentibus cachinnis, & fœdissima iucunditate resolutum. Si te à veste considerem, nihil te à scenico habitu distare cognoscam. Si à sermone, in his te audiam omnino nihil sanum, nihil serium, quodque ad disciplinam nostram spectet, loquentem. Si à cibo, maior hinc profectò accusationis materia oriatur. Vnde igitur, responde mihi, potero fidelem te esse cognoscere, cum omnia ista, qua diximus, apertissimè infidelem te esse convincant? & quid dicam, utrum fidelis? nec si homo verè sis, possum evidenter agnoscere. Interdum enim ut asinus calcitras, ut taurus superbis, ut equus libidine incensus, sic hinnis. Interdum in epulis urforum imitatis voratum, & pinguedine corpus mularum more di-

stendis. Cum in excercenda similitate camelum, lupum imiteris rapina: cum irasceris ut serpens, & atrocitate scorpionum percutias: cum sub dolo insidieris ut vulpes: cum veneno malignitatis armeris ut vipera: cum quasi diabolus ipse aduersus fratres crudelia bella suscipias: quonam modo, qua ratione in hominum te possum numero collocare, nulla in te cernens humana signa natura? Quid appellare te debeo? feram? sed illa uno aliquorum vitio tenentur: tu verò simul omnia colligendo, longè ferarum irrationale, stultumque transgredieris. An te potius appellem diabolum? Sed ille nec pecunias concupiscit, nec tyrannidi ventris obsequitur. Cum igitur in te plura vitia sint, quàm in bestiis, atque demonibus, responde obsecro unde te possum iure hominem nuncupare? Si verò te hominem appellare nequeo, quo tandem modo potero te fidelem vocare? Hæc ille. Quæ utinam etiam nunc non quadrarent in commune vulgus fidelium, qui Christiani vocantur; & quoad viuendi licentiam, non discernuntur ab infidelibus. Si ergo ex ipsis fidelibus multò plures per hanc viam latam gradiuntur, quàm per viam arctam mandatorum, manifesta est consequentia multo plures ad perditionem duci, quàm ad salutem.

Peccator  
fieri peior.  
Peccator  
diabolo de-  
terior.

Eandem illatione facit Augustinus enarr. in Psalm. 47. prosequens hoc idem argumentum. Nam, cum dixisset de saluandis, quàm pauci sunt, vix inuenitur aliquis: subiicit ad id probandum, quot enim sunt illi qui videntur seruare præcepta? Vix inuenitur vnus, vel duo, vel paucissimi. Valet igitur apud Patres hæc illatio; Pauciores sunt, qui seruant præcepta, quàm qui non seruant. Ergo pauciores sunt qui saluantur, quàm qui non saluantur.

August.

Adde debere seruari præcepta vsque ad mortem: cum scriptum sit Matt. 10. & 24. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Donum autem perseuerentiæ continet speciale, & maximam difficultatem: ut docent Theologi in materia de gratia. Denique de vniuersali transgressione præceptorum dicitur Psal. 13. Omnes declinauerunt: simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum: non est vsque ad vnum. Non quod siue ætate Davidis, siue nostra, non sint aliqui iusti: sed quia tam pauci sunt boni, ut non appareant inter malos. Sicut, inquit Augustinus enarr. in Psalm. 47. quisquis aream videt, potest putare, quod sola sit palea. Plures autem sunt mali: ut inter eos boni non appareant.

Matth. 10. &  
24.

Psalm. 13.

Augustinus.

Decimo, denique præcepta omnia illis duobus innituntur: quæ ex lege veteri repetiit Christus Matth. 22. nempe Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet. Quotusquisque fidelium diligit Deum ex toto corde suo, & proximum sicut se ipsum? Certum est autem, sine obseruantia huius duplicis præcepti dilectionis, aduultorum prædesti-

Matth. 22

X X.  
Prædestinati  
ad Hieroso-  
lymam per-  
tinent, reprobi  
ad Babylone-  
nem.

Augustinus.

Inter amorē  
Dei, & amo-  
rem sui dit-  
crimina.

Amor Dei,  
& amor gen-  
ti discernit  
electos, &  
reprobos.

Augustinus.

Babylon  
Regem ha-  
bet diabo-  
lum, Hiero-  
solima Chri-  
stum.

nari neminem. Declarat hoc egregiè Augustinus enarr. in Psal. 64. ubi dicit, prædestinatos omnes pertinere ad Hierusalem, reprobos ad Babylonem. *Quas ciuitates, inquit, nunc permixtas, in fine separandas ostendit Dominus: cum alios ponet ad dexteram, alios ad sinistram. Hierusalem ad dexteram erit, Babylon ad sinistram. Hierusalem audiura est, venite benedicti: Babylon, ite in ignem æternum. Duas istas ciuitates faciunt duo amores. Hierusalem facit amor Dei: Babylonem facit amor sæculi. Interroget se quisque, quid amet: & inueniet unde sit ciuis. Quod magis declarans lib. 11. in Genes. cap. 15. Hi, inquit, duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter priuatur; alter acceptus Deo, alter amulus; alter tranquillus, alter turbulentus; alter veritatem laudibus preferens, alter gloria auidus; alter amicalis, alter inuidus; alter hoc volens proximo, quod sibi; alter volens proximum subicere sibi; alter propter proximi vtilitatem regens proximum, alter propter suam; alter in bonis, alter in malis. Et distinxerunt conditas in genere humano ciuitates duas, alteram iustorum, alteram impiorum. Quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur sæculum, donec vltimo iudicio separentur. De altera coniuncta Angelis bonis cum rege vitam consequetur æternam: altera coniuncta Angelis malis in supplicium mittetur æternum. Non potuit clariùs explicari collectio electorum, & collectio reproborum. Ut videatur alterutrius apud fideles sit maior numerus, debet videri an plures inter fideles pertineant ad amorem Dei, & proximi, cum circumstantiis ab Augustino explicatis, quàm ad amorem sui, & mundi. Sed de facto inter fideles adultos reperiuntur amatores sui, & mundi, quàm amatores Dei in toto corde suo, & proximi sicut sui ipsius: quod nemo cordatus negabit. Ergo etiam inter fideles adultos plures reperiuntur reprobi, quàm electi. Alioquin non valeret argumentum Augustini ex hoc duplici amore dignoscētis cuius quisque ciuitatis sit ciuis, id est an pertineat ad Hierusalem cum electis, an ad Babylonem cum reprobis. Ideo ipsemet Augustinus enarr. in Psal. 61. ex hoc colligit paucitatem electorum præ reprobis. Nam, cum quæreret cur Matt. 22. vno eiecto sine veste nuptiali, tamen, ut ibidem concludit Christus, *multi sunt vocatio, pauci electi, quemodo, inquit, proiecto vno de multis pauci electi, nisi quia in illo vno multi? omnes, qui terrena sapiunt; omnes, qui felicitatem terrenam Deo præferunt; omnes, qui sua quarunt, non qua Iesu Christi, ad vnã illam ciuitatem pertinent, qua dicitur Babylonia mysticè: & habet regem diabolum. Omnes autem, qui ea, que sursum sunt, sapiunt; qui cœlestia meditantur: qui cum sollicitudine in seculo viuunt, ne Deum offendant: qui cauent peccare: quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, iusti, pii, boni omnes ad vnã ciuitatem pertinent, qua Re-**

gem habet Christum. Et infra: *Ista dua ciuitates permixta interim in sine sunt separanda.* Paucitatem electorum in hac vita permixtorum cū reprobis colligit ex diuersis vtrorumque moribus. Quod non benè colligeret, nisi pro certo assumeret, plures reperiri qui terrena sapiunt, quàm qui cœlestia: plures amatores sui, quàm Dei. Ex quo infert illos *pertinere ad Babylonem*, idest ad reprobos: hos *ad Hierusalem*, idest ad electos.

Demum quàm strictè sentiendum sit de paucitate electorum patebit clariùs, si expendatur quid sit ex eodem Augustino *diligere Deum ex toto corde*: quod ad prædestinationem in adultis requiritur. Quippe ille in Manuali cap. 10. Deum alloquens; *Accende me, inquit, toto igne tuo, vt diligam te Deum meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, ex tota intentione mea, totius dulcedinis amoris tui plenus, totius charitatis flamma succensus.* Quàm multis amor hic præcipitur! quàm paucisunt qui sic ardent! Origenes tract. 23. in Matth. *Dilectio Dei ex toto corde quid sit, Origenes.* *Toto corde Deum diligere, nihil aliud esse quàm amare secundum totam recordationem, operationem, & cogitationem. Ex tota anima, vt eam pro Deo ponere parati simus. Ex tota mente, nihil aliud proferre, quàm qua sunt Dei.* Bernardus de diligendo Deo, *Toto, inquit, corde diligemus, idest sapienter contra suggestiones diaboli, & subducamur; tota anima dulciter, contra delectationes carnis, ne alliciamur; tota mente fortiter, contra pressuras mundi, ne opprimamur.* Pauci vtiq; sunt: qui sic Deum amant. Ergo etiam paucisunt qui saluantur; cū ab hoc amore fieri debeat prædestinationis iudicium, ex August. Ideo reuelauit Deipara S. Birgittæ, vt habetur *S. Birgitt.* lib. 6. reuel. cap. 7. quod *sicut pauci fuerunt qui habuerunt fidem rectam, quando Christus ascendit in celum; sic nunc pauci sunt qui præceptum illud impleant, Diliges Deum super omnia.* Animaduertatur quàm pauci fuerint qui *habuerunt fidem rectam, quando Christus ascendit in celum: cū non habetur ex Act. 1. nisi turba hominum fere simul centum viginti.*

Postremò arguendo à fortiori. Plures præsumuntur boni, & seruatorum mandatorum Dei à Sacerdotibus, quàm ex aliis inter fideles. Sed inter Sacerdotes sunt pauciores boni quàm mali. Ergo multò magis inter fideles reliquos. Maior patet ex terminis, quia status Sacerdotalis est sanctior. Minor probatur ex Hieronymo apud Eusebium in epist. ad Damascum, vbi: *Ecce, inquit, mundus vndique feruet Sacerdotibus: & tamen tam sunt rarissimi Sacerdotes, quod vix è centum bonis reperitur vnus.* Adstipulatur his id, quod refert Ioannes Broniardus in summa prædicantium, reuelatum cuidam fuisse *tot Sacerdotes in infernum descendere, vt non possit existimari plures in mundo esse.* Quibus consonat Chrysostomus homilia 3. in Act. vbi: *Non arbitror, inquit, inter Sacerdotes multos esse qui salui fiant: sed* *Chrysostom.*

multò plures qui pereant. Multo igitur magis de reliqua fidelium turba affirmandum est, inter eos rarissimos esse bonos; ita ut vix è centum reperiatur vnus: & sic multò plures esse qui pereant.

## CAPVT VI.

*Probatnr paucitas electorum ex multitudine recidiuorum.*

XXI.

Vidimus cap. præcedenti ex pluralitate malorum, & paucitate bonorum inter adultos, pluralitatem reproborum præ electis. Sed quoniam apud fideles multi sunt qui aliquando mali, aliquando boni sunt: & sic modò pertinent ad Babylonem cum reprobis, modò ad Hierusalem cum electis: De his ferendum est iudicium, ad quos finaliter, & absolutè pertineant. Quia verò præcipuum aduersariorum argumentum ab his desumitur apud Suarium loco citato num. 6. *quod ex adultis* (loquitur expressè inter Catholicos) *licet maior pars hominum sapius mortaliter peccet, tamen sapius resurgunt: & ita cadendo & resurgendo vitam transigunt*: hoc telum contra aduersarios retorquebimus: assumendo quod dant, & sic formando argumentum. Omnes ii qui ita mortaliter peccant, vt cadendo & resurgendo vitam transigant, regulariter, & iuxta leges communes, pertinent ad reprobos. Sed ex adultis maior pars ita mortaliter peccat, vt cadendo & resurgendo vitam transigat: Ergo regulariter, & iuxta leges communes, adultorum maior pars pertinet ad reprobos. Consequentia tenet ex forma. Minor à nobis admittitur vt vera, & assumitur ab aduersariis vt certa, etiam inter fideles; quorum est cadere: & per Sacramentum Pœnitentiæ resurgere. Maior probatur ex multis.

Recidi i  
communiter  
per:inent ad  
reprobos.

*Prou. 26.*  
Recidiuus  
simil's cani  
vomitum  
resorbenti.  
Bernardus.

Primò ex Prou. 26. *sicut canis, qui reuertitur ad vomitum: ita imprudens iuerans stultitiam suam.* Vbi Septuaginta: *Sicut canis ad vomitum suum regressus* (idest, resorbens id, quod vomuerat) *fit perosus, & execrabilis: ita stultus, qui ad suum redit peccatum.* Quod explicans Bernard. serm. 3. de Assumptione: *Canis, inquit, reuersus ad vomitum fit odibilis multò plus quàm antea: & fiet filius gehenna multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in eadem denuò sortes incidit.* Quid est fieri filium gehenna, nisi fieri reprobum?

Pœnitentia  
recidiuorum  
ficta.

Secundò, omnis pœnitentia ficta reprobationis est signum. Sed recidiuatio reducit ad pœnitentiam fictam. Ergo recidiuatio reprobationis est signum: & sic recidiui recensendi sunt inter reprobos. Maior patet ex allatis tract. præced. cap. 5. Minor probatur ex Patribus. Ambrosius in 2. ad Cor. 2. *Pœnitentia vera, est cessare à peccato: sic enim probat dolere se, si de cetero desinet.* Ergo à contrario pœnitentiæ falsæ signum est, & ficti doloris, si de cetero non desinat.

*Ambrosius.*  
Pœnitentia  
vera, est ces-  
sare à pec-  
cato.

Augustinus ser. 1. de pœnit. & ieiun. *Irrisor, inquit, est, non pœnitens qui adhuc agit quod pœnituit: & peccata non minuit, sed multiplicat.* Hoc autem de iis etiam, qui pœnitentiam agunt cum lacrymis, sed iterando peccata, pronunciat Fulgentius lib. 1. de remiss. peccat. c. 12. *vbi, Nonnulli, inquit, scelerum suorum consideratione perterriti pro iniquitatibus suis in oratione gemunt: nec tamen ab iniqua operatione discedunt. Fatentur se malè fecisse; nec ullum finem volunt malis suis factis imponere. Accusant humiliter in conspectu Dei peccata, quibus tenentur oppressi: & eadem peccata, qua humilitate sermonis accusant, corde peruerso continuant, & cumulant. Indulgentiam, quam suis lachrymosis gemitibus poscunt, ipsi sibi prauis operibus adimunt. Medelam poscunt à Medico, & in perniciem suam subrogant adiutorium morbi. Tales nunquam diluunt gemendo peccata: quia non desinunt peccare post gemitum.* Ex hoc argue, quod dicendum de iis qui sunt sine lachrymis recidiui. Gregorius lib. 3. in 1. Reg. cap. 6. loquens de vrbibus Philistiim, quæ post peccatum obtulerunt singula singulos anos, & singulos mures aureos. *Anum, inquit, unum, & murem unum Deo pro delicto non offert, qui et si pœnitendo compungitur, scditates multiplicat; quas Deo ei confessus representat. Perfèctè enim conuertitur, qui cum semel quod prauè egerat, plangit; quod denuo plangat, ultra non repetit.* De horum pœnitentia Tertullianus libro de pœnit. cap. 5. pronunciat esse pœnitentiam hypocritarum; quorum pœnitentia nunquam fidelis. Ergo signum hi reprobationis habent ex pœnitentia ficta: quia tam citus & tam facilis post pœnitentiam in eadem graui peccata relapsus, signum est quod accedunt cum ficto dolore, & ficto proposito, & quod volunt palliare quodammodo conscientiam. Quod est potissimum reprobationis indicium: sicut prædestinationis est signum conscientie ingenuitas. Ideo dicitur Psal. 14. *Quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? & respondet, qui loquitur veritatem in corde suo.* Cum veritas & mendacium sint relatiua ad alterum, tamen reponitur inter prædestinationis signa, si quis loquitur veritatem in corde suo: quia reprobatorum est mentiri in corde suo: dum conantur sibi ipsis persuadere verum se habere dolorem, & verum propositum non peccandi: quod ipsimet tacite cognoscunt vt fictum. De his dicitur Psal. 35. *Dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium: siue vt inueniret iniquitatem suam, & odisset, iuxta lectionem Augustini enarr. in eum Psalmum, vbi inquit, Homines, qui quasi conantur querere iniquitatem suam, & timent illam inuenire: quia, si illam inueniunt, dicitur illis, Recedite ab illa.* Qui ergo recidiuantes in idem peccatum, ita palliantes conscientiam ad pœnitentiam accedunt, vt ab iniquitate non recedant; hi loquuntur mendacium in corde suo. Quod est supremum reprobationis signum: sicut signum habet præ-

Augustin

Fulgent.  
Lachrymæ  
recidiuorum  
fictæ.XXII.  
Gregorius.Tertull.  
Recidiuo-  
rum pœni-  
tentia hy-  
pochrisis.Conscientie  
palliatio re-  
probationis  
indicium.  
Psal. 14.

Psal. 35.

Augustin

destinationis is, qui loquitur veritatem in corde suo.

Recidiuorū  
pœnitentia  
inutilis.  
Eccles. 34.

Augustinus.

Eccles. 26.  
Damnatio  
animæ &  
corporis  
rhomphææ  
vtraque parte  
acuta.  
Apoc. 1.  
Gregor.

Tertullian.

XXIII.  
Recidui  
peccatum ex  
ingratitude  
ne grauius.

Cyprianus.

Tertio, esto pœnitentia recidiuorum fuerit vera, adhuc tamen reciduitas propria est reproborum, quia per relapsum in idem peccatum redditur planè inutilis pœnitentia. Pater hoc ex Eccles. 34. *Qui baptizatur à mortuo* (idest lauatur, postquam tetigerit mortuum, iuxta legem præscriptam Hebræis Num. 19. & iterum tangit illum; quid proficit lauatio eius? sic homo qui ieiunat pro peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem eius quis exaudiet? In quem locum Hugo Victorinus: *Qui baptizatur, inquit, à mortuo, idest qui mundatur à peccato aqua compulsionis, si rursus illud tangit, nihil ei prodest: quia sequens culpa pœnitentiam perdit.* Augustinus etiam serm. 181. de tempore: *Corrumpitur, inquit, pœnitentia si eisdem quis, pro quibus confiteretur, rursus inuoluatur malis. Vnus enim, inquit, edificans, & alius destruens, quid consequentur nisi laborem? & qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit in lauacro suo? & iterum dicit, qui redit à iustitia ad peccatum precipitat eum in gladium.* Locus hic habetur Eccles. 26. vbi vulgata, *qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad rhomphæam.* Quid est parauit eum ad rhomphæam, nisi ad damnationem animæ & corporis, per gladium vtraque parte acutum, qui exiit de ore eius. Apocal. cap. 1. nempe per sententiam illam, *Ite maledicti*, quæ rhomphæa est vtraque parte acuta afferentis & animæ & corporis æternam mortem. Præterea, Gregorius 3. p. pastor. admon. 31. *Baptizatur, inquit, à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: sed post baptisma mortuum tangit, qui culpas post lachrymas repetit.* Rabbanus in eundem locum, post *Baptismum*, inquit, *mundus esse negligit, quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit: & lauantur ergo, & nequaquam mundi sunt, qui commissa non desinunt, sed rursus flenda committunt.* Idcirco Tertullianus libro de pœnit. cap. 2. *Vbi, inquit, emendatio nulla, pœnitentia est sine fructu.* Et infra: *Quid te cognovisse interest* (nempe fœditatem peccati) *cum isdem incubes, quibus retro ignorans.* Quod agnouit ipsemet Seneca epist. 2. vbi, *Non prodest, inquit, cibus, qui statim sumptus emittitur: Non conualescet planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, quod proficit in transitu.*

Quarto recidui recensendi sunt inter reprobos: quia nouum peccatum post acceptam remissionem prioris ex circumstantia ingratitude grauius est quàm prius. Ergo, sicut prædestinatorum est semper proficere in melius: sic reproborum est semper labi in deterius. Antecedens patet tum ex terminis, tum è scripturis Ioan. 5. *Noli amplius peccare: ne deterius aliquid tibi contingat.* Quia scilicet peccatum deterius sequi debebat pœna deterior. Quem locum expendens Cyprianus lib. de disciplina, & habitu virginum. *Ecce, inquit, sanus*

sanus factus es, &c. Dat vivendi morem: dat innocentia legem, postquam contulit sanitatem. Nec habentis solus vagari postmodum patitur, sed gravius comminatur: quod sit scilicet minor culpa deliquisse antè, cum nec dum nosset disciplinam Dei: nulla sit venia ultra delinquere, postquam Deum nosse cepisti. Expendenda sunt illa verba nulla sit venia ultra delinquere: quia scilicet ita est difficilis venia post relapsum, ut Cyprianus pronunciet esse nullam.

Difficilior  
venia post  
relapsum.

Probat id Bernardus serm. 59. in Cant. similitudine morbi; in quem periculosius est recidere, quàm incidere. Si, inquit, gratia propitiata redierit, multò magis tunc timendum, ne contingat reciduum pati; iuxta illud, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Audis recidere, quàm incidere esse deterius. Colligitur idem etiam ex Matth. 12. sunt novissima hominis illius peiora prioribus: Et ex Jeremiæ 2. Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas. Præterea idem probatur ex Paulo ad Hebræos 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cælestis, & participes facti sunt spiritus sancti, &c. & prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam. Ex quo loco Tertull. lib. 1. de pudicitia sumpsit occasionem hæresis, quod recidivi non essent admittendi ad pœnitentiam. Sed germanus sensus est, quod hoc sit impossibile, id est ratione tantæ ingratitude valde difficile, ut explicant Anselmus, Hugo, Lyranus, & alii, Tanta est difficultas, ut appelletur ab Apostolo impossibilitas.

Bernard.

Matth. 12.

Ad Heb. 6.

Porò quàm gravem Deo injuriam inferat recidivitas, explicat idem Apostolus his verbis, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei, & ostentui habentes. Quod verò id sit reprobationis signum monstratur etiam ex sequentibus: Terra proferens spinas, ac tribulos, reproba est, & maledictio proxima: cuius consummatio in combustionem. Hæc è scripturis.

Recidivus  
injuriam  
graviſſimam  
infert Deo.

Patet idem præterea ex Patribus. Chrysoſtomus serm. de lapsu primi hominis, qui habetur tom. 1. probat id similitudine vulneris recentè obducti; quod vel minimo ictu, quando non plene convaleuit, recrudescit, ac ducit ad mortem. Noli, inquit, peccare post veniam: noli vulnerari post curam: noli sordidari post gratiam. Cogita gravioſam culpam esse post veniam: renovatum vulnus peius dolere post curam: molestius hominem sordidari post gratiam. Et infra: Indulgentiæ, inquit, ingratus est, qui peccat post veniam. Sanitate indignus est, qui semetipsum, postquam curatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat. Tum concludit: Grave est, hominem instructum delinquere: gravius, absolutum peccare. Peior est, qui Dominum post datam libertatem offendit. Tertull. lib. 1. de pœnit. cap. 5. probans gratiam semel cognitam, atque susceptam nunquam posthac iteratione delicti resignari oportere, perpen-

Chrysoſt.

Tertullian.  
Recidivus  
gaudium  
præbet dia-  
bolo.

Ephrem.  
Reciduius  
mœrorem  
præbet An-  
gelis Dei.

XXIV.  
Reciduius  
pœnitentiæ.

Prædestinatis  
peccata coo-  
perantur ad  
bonum pœ-  
nitentiæ.

dit grauitatem peccati iterati post pœnitentiã. Quippe peccator redeundo ad peccatum, gaudium facit diabolo: sicut prius pœnitendo gaudium fecerat Angelis Dei, *Non leuiter, inquit, in Dominum peccat, qui cum amulo eius diabolo per pœnitentiã renunciaffet, rursus eundem regressu suo erigit: & exultationem eius se ipsum facit: ut demum malus recuperata sua prada aduersus Dominum gaudeat.* S. Ephrem sermone de compunct. & salute animæ, perpendit idem ex materia doloris, quam reciduius præbet Deo, & Angelis Dei. *O quantum, inquit, gaudium est in cœlis, simul ac peccator in terra fundit lachrymas. O quantus rursus dolor erit in cœlo; quando homo: qui abrenunciauit Sathana, & operibus eius, coniunctus Christo, iterum conuersus fuerit retrorsum oblitus pactorum: & inhaerit antiquis, quibus se rectè abdicauerat.* Tertullianus expendit in hoc, reciduius expertum semel Christi regnum, & diaboli, quando ad hunc voluntariè redit, præponere Christo diabolum. *Nome, inquit, hic diabolum Domino præponit? Comparationem videtur egisse, qui utrumque cognouerit: & iudicatò pronunciaffe eum meli rem, cuius se rursus esse maluerit.* Addit in hoc, reciduius facere pœnitentiã suæ pœnitentiæ: & sic fieri Deo exosissimum. Sicut enim subditus, qui post acceptam rebellionis ueniam iterum rebellaret ad hostem: ita, qui per delictorum pœnitentiã instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiã pœnitentiã satisfaciet: eritque tantò magis perosus Deo, quantò amulo eius acceptus. Si igitur reciduius Deo exosus est, acceptus Diabolo, mœrorem in cœlo facit, gaudium in inferno: ad eam utique sortem pertinere censendus est, cui adhæret. Dumque alia, & alia iteratione peccati semper peccat grauius, & grauius, ut ostensum est: utique semper labitur in deterius, ac deterius: quod planè proprium est reproborum: & sic non possunt rationabiliter hi recenseri inter electos.

Postremò, & fortiùs. Quotiescunque aliqui ex adultis sunt prædestinati, omnia iis cooperantur in bonum, etiam peccata. Sed habitualiter reciduius peccata non cooperantur in bonum. Ergo habitualiter recidui non sunt numerandi inter prædestinatos. Maior patet ex Paulo ad Rom. 6. ut ostensum est tom. 2. lib. 3. quæst. 4. num. 15. Minor probatur. Quia intantum peccata cooperantur in bonum, inquantum cooperantur ad pœnitentiã fructuosam post peccatum, ut in eadem tomo ostensum est, & hinc tractatu primo. cap. 5. Sed habitualiter reciduius peccata non cooperantur ad pœnitentiã peccatorum. Tum quia primus pœnitentiæ fructus est non relabi, ut supra probatum est. Tum quia in tantum pœnitentiã cooperatur in bonum, inquantum affert non solum emendationem sed etiam meliorationem vitæ, ut probatum est locis cit. aded ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatè

*incentiva cumulasse* : ut docet Ambrosius lib. de Apolog. Davidis, cap. 2. qui etiam ibi addit *semel, aut iterum lapsos, gratia maiore vicisse* : ut appareat, qui lapsi connumerari possunt inter electos. In iis autem, qui non semel, aut iterum lapsi sunt; sed sunt habitualiter recidivi, non solum nulla est post pœnitentiam melioratio vitæ: sed semper relapsus in pejus, ut paulò antè ostensum est. Ergo hi recidivi non sunt ex numero prædestinatorum, quibus peccata per pœnitentiam cooperantur in bonum. Relinquitur ergo ut sint ex numero reproborum. Quamobrem Chrysostomus epistola ad Theodorum lapsum, *tantum, inquit, ne relabaris; nec excindas spes ampliores*, quia scilicet spes gloriæ maximè consistit in hac negatione relapsus, quasi supponendo excindi spem gloriæ per relapsum.

Confirmatur primò ratione à priori, quia peccatum sæpiùs iteratum gignit consuetudinem peccandi. Hæc autem coniuncta cum pronitate naturæ corruptæ ad peius pene irreparabiliter ducit ad barathrum, ut ostensum est tract. præced. cap. 4. Quamobrem Glossa in Iob. 31. *opus, inquit, sequitur consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio*. Ergo hi qui sæpiùs relabendo accrescunt peccata peccatis, numerari non debent inter electos.

Confirmatur secundò ex iis quæ requirunt Patres ad hoc, ut pœnitentia post peccatum prædestinationis sit signum, nempe quotidianum peccatorum dolorem, ieiunia, eleemosynas, lachrymas, ut fusè ostendimus tract. 1. cap. 5. Quippe, ut monet Augustinus, *gravia peccata gravissimis lamentis indigent* : & ideo ibidem dicit patrata peccata esse *quotidie flenda*. Ergo, ex Patribus, nullum prædestinationis signum in eis possumus recognoscere, qui non solum non quotidie flent peccata, sed pene quotidie iterant.

Confirmatur tertio, quia ad prædestinationis signum post peccata requiritur satisfactio pro peccatis. Ex Augustino autem libro de dogmat. Eccles. cap. 54. *Satisfactio pœnitentia, est causas peccatorum abscindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere*.

Confirmatur quarto ex iis, quæ Deus requirit in Scripturis à peccatore pœnitente, ut illum reponat inter prædestinatos.

Et quoniã citari solet ad præbendam spem peccatoribus Ezechiel sub iis verbis, *In quacumque hora ingemuerit peccator, &c.* quæ verba ibi non sunt, dabimus duplicem eiusdem Ezechielis locum, in quo de hoc agit. Primus est cap. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est: & custodierit omnia præcepta mea: & fecerit iudicium, & iustitiam; vità vivet, & non morietur*. Secundus locus est cap. 38. *Si dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo: feceritque iudicium & iustitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit: & in mandatis vitæ ambulaverit,*

XXV.  
Peccata per  
pœnitentiam  
quotidie  
flenda.  
Augustinus.

Satisfactio  
pœnitentiæ,  
est causas  
peccatorum  
abscindere.

Ezechiel. 18.

Ezech. 38.  
Quæ pœni-  
tentia requi-  
ratur ad sa-  
lutem.

nec fecerit quidquam iniustum; vitâ viuet, & non morietur. Ecce, ex diuino oraculo, post peccatum qualis pœnitentia requiratur ad salutem. Non dicit tantummodo, si egerit pœnitentiam; sed addit, si omnia præcepta custodierit: si in mandatis vitæ ambulauerit: quod dicit continuatam quandam obseruantiam mandatorû. Si non fecerit quidquam iniustum, id est peccaminosum; ex quo quilibet peccator iniustus dicitur. Ergo expressè requiritur negatio recidientiæ in peccatum. Apparet ex his Scripturæ locis, quæ spes esse possit in his qui nõ quomodocunque, sed sunt habitualiter ad peccata eadem recidui.

Confirmatur denique vltimò, quia si collocandi sunt in numero prædestinatorum, vt volunt aduersarii, ii qui vitam transigunt cadendo & resurgendo, quod est dicere, qui habitualiter per totam vitam sunt recidui, sequeretur quod hæc ipsa reciduitas habitualis esset vnum è prædestinationis signis; quia ex hoc, qui tales sunt, arguantur esse inter prædestinatos. Sed hoc est absurdum ex terminis, & aduersatur Patribus, qui in eius opposito agnoscunt signum prædestinationis vt fusè ostensum est. Ergo, &c. Denique an recidui, & præsertim habitualiter recidui, qui cadendo & resurgendo vitam transigunt, adnumerandi sint inter electos an inter reprobos, stetür testimonio Pauli ad Heb. 10. qui prohibendo hunc relapsum: *Non b. beät, inquit, ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati.* Ex cuius contrario quid sequatur infra subdit: *Voluntariè peccantibus nobis p. Et acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quedam expectatio iudicii, & ignis amulatio, quæ consumptura est aduersarios.* Magna comminatio reciduiantibus in peccata post acceptam veritatis notitiam per fidem, & multò magis post perspectam, & odio habitam fœditatem peccati per pœnitentiam. Grauior fit hæc comminatio ex iis, quæ subijcit: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur? Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia: qui Filium Dei concusserit, (quod fit per quodlibet mortale) & sanguine testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est (in Sacramentis tum Baptismatis, tum Pœnitentiæ) & spiritui gratiæ (toties accepto, & toties rejecto) contumeliam fecerit.* Vnde infra concludit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Videatur ex hoc quale fiat ab Apostolo de reciduiantium salute iudicium. Quod si ex aduersariis etiam inter fideles adultos maior pars hominum cadendo & resurgendo transigit, quod est esse non quomodocunque, sed habitualiter, & per totam vitam reciduum, manifestè sequitur maiorem aduultorum partem pertinere ad reprobos, & ad filios gehennæ, vt reciduios appellat Bernardus verbis citatis num. 21. & sic ex ipsomet aduersariorum argumento videtur concludi contrarium.

Ad Heb. 10.  
Reciduiis  
comminatio  
damnationis.

## CAPVT VII.

*Idem ostenditur ex multitudine malè morientium.*

**D**VO erant fundamenta aduersariorum præcipua. Primum, multitudo cadentium & resurgentium. Alterum, multitudo bene morientium. Vtrumque contra aduersarios retortum pro nobis militat. Primum agitauimus capite præcedenti. Alterum hîc agitabitur. Ita igitur formo argumentum. Omnis qui malè uiuit, iuxta leges communes, vt in pluribus, malè moritur. Sed maior pars fidelium aduultorum malè uiuit. Ergo maior pars fidelium aduultorum, iuxta leges communes, vt in pluribus, malè moritur. Consequentia tenet ex forma. Minor satis comprobata ab experientia, patet ex dictis Patrum, quæ attulimus suprâ num. 20. & admittitur ab aduersariis, fatentibus quod inter fideles maior pars cadendo & resurgendo vitâ transigit. Quod est recidendo in grauia peccata, de quibus est sermo, vitam ducere, & sic malè viuere. Maior sumitur ex axiomatico vulgato, & admissio apud fideles, *Qui malè uiuit, malè moritur: qui bene uiuit, bene moritur.* Et videtur id desumptum ex Augustino serm. 24. de verbis Domini: ubi *Viuite*, inquit, *bene, ne moriamini malè.* Et tomo 3. in Sent. ait, *Mala mors fatenda non est, quam bona uita præcessit.*

Patet id primò è Scripturis Psal. 33. *Mors peccatorum pessima.* Quod non solum in sensu composito, sed etiam in sensu diuiso intelligitur ab Augustino: idest mors eorum, qui peccatores vixerunt, pessima. Quare redarguens eos, qui dicebant multos peccatores bene mori, sic habet: *Hoc ergo, inquit, quod miror, quia noui peccata & scelera ipseus, & bene mortuus est in domo sua, intra limina sua, nulla peregrinationis iniuria fuit illi, nulla vel in matura ætate. Audi Deum, Mors peccatorum pessima. Qua tibi videtur bona, pessima est, si intus videas. Vides foris iacentem in lecto, sed numquid vides intus raptum ad gehennam?* Contrâ verò dicitur Psal. 51. *Preiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius:* idest, rara. Quippe, vt notat Hieronymus in II. 13. *Preiosum dicitur omne quod rarum est:* quia scilicet rariores sunt qui in Domino moriuntur. Insuper Psal. 133. *Virum iniustum mala capient in interitu.* Quilibet autem peccator dicitur iniustus; sicut quilibet bonus dicitur iustus. Augustinus legit, *mala venabuntur*, scilicet tanquam feram quam dæmones tota vita insectati, & tot laqueis irretitam, ne fugeret, tandem venantur in interitu. Quamobrem Augustinus: *Ideo, inquit, venabuntur, quia vnusquisque*

XXVI.

August.

Mors eorū  
qui malè vi-  
xerunt, pessima.

Psal. 51.

Hieronym.

Psal. 133.

Augustinus.

abundare se vult à malo. Sed cum inuenitur à malo, factus est in venationem: ac si diceret, ita deprehenditur, vt non possit effugere.

*Proverb. 29.* Præterea Prou. 29. *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* Qui autem male viuit, vtique corripientes contemnit. Denique Eccl. 3. *Cor durum habebit malè in nouissimo* siue, vt Syrus, *cor durans malus fiet finis eius.* Cor autem

Inspirationibus diuinis qui resistit, mortem torquetur malam.

*Lyranus.*

*Vit. & Patrum.*

durum habetis qui malè viuit? cum resistat gratiæ toties eum incitantem ad vitam bonam. Quippe, vt notat Lyranus, *sicut durum in corporalibus dicitur, quod resistit frangenti; sic in spiritualibus, quod resistit instinctui ad bonum.* Porro ex veteri prouerbio, *gutta cauat lapidem*: cor autem, plusquam lapideum, tot veluti guttæ diuinarum inspirationum quotidie instillatæ nequaquam emollierunt. Ideo quod sicut assiduè stillans gutta cadit in lapidem, & eum perforat: ita sermo Dei lenis cor nostrum durum aperit ad timendum Deum. Cor autem, quod diuinis monitis toties in vita restitit, planè cor durum est, & habebit malè in nouissimo: quia: vt in eum locum notat Palacius, *dignus non est, vt is sentiat Deum mollem in morte, qui ei se toties prabuit durum in vita.* Sequitur, *Qui amat periculum, peribit in illo.* Nullum autem maius periculum, quàm malè viuendo pœnitentiam differre ad mortis articulum. Eius igitur qui malè vixit, præsumi non potest bona mors, quando Deus ipse protestatur malè morituros eos, qui malè vixerint.

*Cyprianus.*

*Hieronymus.*

Patet idem secundò ex Patribus. Cyprianus lib. 4. epist. 2. ad Antonian. *Non est dignus, inquit, in morte accipere solatium, qui se non cogitauit esse moriturum.* Hieronymus, vt refert Eusebius in epist. ad Damasum, cum decumberet moriturus, *vix, inquit, de centum millibus hominum, quorum mala fuit semper vita, meretur à Deo habere indulgentiam vnus.* Terribilis planè sententia quæ confirmat adamussim id, quod diximus, eos qui malè vixerint, vt in pluribus

XXVII.  
Qui in ultimo vite tempore Deo reconciliantur, non bene moriuntur, ex Ambrosio Augustin.

malè mori. Quare vniuersaliter concludit: *Hoc teneo, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus est finis cui mala fuit semper vita.* Ambrosius adhortatione ad pœnitentiam: *Qui, inquit, positus in vltima necessitate aegritudinis sue accipit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit (id est exit ex hoc corpore) fateor vobis, non negamus illi quod petit, (id est non negamus illi absolutionem) sed non præsumo dicere, quod benè hinc exit.* Augustinus lib. de vera & falsa pœnit. cap. 17. *Si conuersio, inquit, contigerit in fine, non est de eius remissione desperandum: sed quoniam vix, vel rarò est iam iusta conuersio, timendum est de pœnitente serò.* Ecce quod diximus, id contingere vix, & in paucis. Quod magis ipse explicat his, quæ suprâ dixit, *Illi, qui cum potuerunt, nunquam conuerti voluerunt, confitentes cum iam peccare nequeunt, non sic facillè acquirunt quod*

volunt. Gregorius lib. 25. moral. cap. 2. in ea verba Iob 24. subito Gregorius  
 morientur, &c. Quamuis, inquit, serò de hac vita tollantur iniqui,  
 subito & repente tolluntur: quia finem suum cogitando prouidere  
 nesciunt: subitum est homini, quod antè cogitare non potuit. Affirmat  
 quamlibet mortem esse peccatoribus subitanam, quia quælibet est  
 illis antea improuisa: iusto autem Dei iudicio eos subito mori; quia,  
 vt addit, cap. 3. subito tollitur, qui diu toleratur. Isidorus lib. 2. de  
 off. Eccl. cap. 22. Non dubitamus, inquit, circa finem iustificari ho-  
 minem, per pœnitentiæ computationem: sed quia rarò id fieri solet,  
 timendum est, ne dum ad finem differtur conuersio, incerta mors oc-  
 cupet. Expresse dicit non iustificari hominem per pœnitentiã circa  
 finem. Plura testimonia rationibus interferemus. Quatuor autem  
 S. Ecclesiæ Doctores allati facilè ostendunt quid sit de hac re sen-  
 tiendum.

Pater idem tertio ratione à priori. Quotiescunque introducuntur,  
 in Physicis, dispositiones ad vnã formam, non contingit sine mira-  
 culo haberi formam oppositam. Vt si materia fuerit summè calida &  
 sicca, atque adeo disposita ad formam ignis; Deus nunquam introdu-  
 cit in illam formam aquæ. Et è cõtra si fuerit frigida & humida, non  
 introducitur in illam formam ignis, Ergo similiter, in moralibus, si  
 introducuntur dispositiones in malam mortem, quales sunt actiones  
 prauæ; non contingit sine miraculo gratiæ haberi bonam mortem,  
 quæ est forma opposita. Hæc autem, quæ miracula censentur, in cursu  
 ordinario gratiæ non contingunt nisi in paucissimis.

Confirmatur, quia non contingit sine miraculo, vt quis ambulans  
 per viam, quæ ducit deorsum, reperiatur in fine viæ prope terminum  
 oppositum, puta prope fastigium montis sursum. Sed *via lata ducit*  
*ad perditionem, via arcta ducit ad vitam*, ex Matth. 7. Ergo non *Matth. 7.*  
 contingit sine miraculo, vt ambulans toto fere vitæ tempore per viam  
 latam, quæ ducit ad perditionem deorsum, reperiatur in fine viæ, &  
 vitæ, prope terminum sursum: nempe per bonam mortem, prope  
 illam, *quæ sursum est Hierusalem* ad Galatas 4. Sicut igitur ex via, *Ad Galat. 4.*  
 in Physicis infallibiliter arguimus terminum: ita ex via, in moralibus,  
 infallibilitate morali argui debet terminus. Nempe iis, qui ambu-  
 lauerunt per viam latam, terminus mala mors & perditio: iis, qui per  
 viam arctam, bona mors & salus.

Idem argumentum fieri potest similitudine seminis. Neque enim,  
 qui seminat lolium, metit triticum. Ergo neque qui seminat carnem,  
 metit spiritum. Et qui per totum vitæ tempus seminat opera dam-  
 nationis, in fine postea non metit salutem. Ideo signanter monet  
 Paulus ad Galat. 6. *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim* *Ad Gal. 6.*  
*seminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua,*  
*de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spi-*

ritu metet vitam eternam. Ex hoc infert; Bonum autem faciens e, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. His aperte docet debere non defici in bonorum operum semine ab his, qui cupiunt metere sine deficientia: ac proinde ostendit ad hoc requiri quãdam indeficientiam in bonis operibus, quæ non reperiuntur in iis, qui deficiunt per totam vitam, & expectant à Deo præmium indeficiens in morte: quæ videtur quãdam delusio, immo etiam quãdam Dei irrisio. Quod innuit Apostolus dicens, *Deus non irridet ur. Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.* Ideo absolutè pronunciat Augustinus serm. 45. de SS. *qui defecerit in semine, non gaudebit in messe.*

Augustin.

Illustratur hoc idem exemplo militis. Qui inter duos Reges, si vni ætatem, ac militiam impenderit: non præstolatur in fine vitæ mercedem ab altero, sed ab eo, cui militavit: ita non expectet præmium à Christo, qui ætatem impendit Diabolo. Quippe: *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Matth. 6. Ideo Chrysostomus epist. 6. ad Theodorum: *Si huius, inquit, telluris imperatorem vix aliquem post multa discrimina, post frequentium trophæa bellorum cum dignitate promerita videre contingit: quomodo celestem omnium Regem videre poterit ille, qui per totum suæ temporis ætatis alii vixerit, alii militari?*

Chrysof.

Patet id quartò principaliter ex difficultate pœnitentiæ homine habituato in impœnitentia. Quæ difficultas, si quando erat minor superata non est; multò minùs superabitur, quando ex usu tam diuturno euasit maior.

XXVIII.  
Ad veram  
pœnitentiam,  
quæ requi-  
rantur.

Confirmatur, quia ad veram pœnitentiam tria requiruntur. Primum vt sit detestatio omnium peccatorum ex motiuo supernaturali. Secundum est, vt sit detestatio super omnia mala, & saltem in laxiore opinione, super omnia mala temporalia, etiam supra ipsam mortem: ita vt verè plus pœnitens doleat de peccato, quàm de quolibet alio malo. Tertium vt sit coniuncta cum proposito firmo nunquam peccandi de cætero: quod propositum debet esse tale, vt se extendat, saltem virtualiter, & confuse, ad quamcunque occasionem, quæ offeratur peccandi: ita vt sit firma voluntas nolendi peccare, etiam proposito periculo, aut damno propriæ existimationis, & vitæ: ad quæ omnia, saltem implicitè tale propositum se debet extendere. Vnum ex his si desit, vera pœnitentia non est, neque talis vt etiam coniuncta cum sacramento iustificet: cum illi desint essentialia.

Hæc tria difficultatem maximam continent, quia voluntas refugere debet à quocunque delectabili, etiam sensibili, & intuitiue cognito, propter honestum, quod est quid abstractum à sensibus, & creditum obscure per fidem. Hoc si difficile est, etiam illi, qui his actibus assuevit, multò magis illi, qui his dissuevit, immo assuevit contrariis.

Quantam

Quantam porrò difficultatem habet summè detestari id, quod maximè quis in tota vita appetit; & summè appetere id à quo maximè in tota vita abhorruit? Vnde fit vt dolor quem in morte exhibent peccatores, ortus ex formidine mortis imminentis, difficilè pertingat ad actum detestationis peccati ex motiuo supernaturali, & ad tale propositum non peccandi, quod se extendat ad quodcumque tempus & circumstantiam; ita verè proponat se non peccaturum, etiam si vita superesset, & mors abesset. Sed est propositum ita infirmum, ut tacitè & virtualiter contineat, quòd in tantum fuga à peccato proponitur, in quantum mors imminet: & sic tale propositum non est sufficiens, cum non radicetur in vera detestatione super omnia mala, saltem temporalia, ex qua oritur propositum non peccandi, neque ex metu cuiuscunque mali temporalis, neque ex amore cuiuscunque boni.

Experientia ostendit tale propositum in huiusmodi pœnitentibus esse fictum: qui, si periculum mortis cessaverit, imò si meliùs habere cœperint, aut spem aliquam concipiant vitæ: statim ad priora desideria redeunt, ac si nunquam eos pœnituisset. Hoc animaduertit Hieronymus: *Qua est, inquit, pœnitentia, quàm solùm quis accipit, quia se viuere non posse ampliùs cernit? qui si ex infirmitate conualesceret, peior quàm antea fieret. Scio non modicos pecuniosorum, accepta mortis tempore pœnitentia, conualuisse corpore, & peiorasse vitam.* Hanc fictionem pœnitentiæ in morte agnoscit Cyprianus lib. 4 ep. 2. ad Anton. vbi: *Pœnitentiam, inquit, non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifestâ lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit.* Præterea, Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia cap. 17. vbi dicit, *Qui prius à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat; ea non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat.* Hugo etiam Victorinus libro 2. de Sacramentis p. 14. cap. 5. *Valde, inquit, suspecta debet esse pœnitentia, quæ videtur esse coacta. Facile est vt homo se uolle putet, quod posse non datur: si non facis dum potes, manifestè ostendis quod non vis.* Quod probans Concilium Neocesariense c. 57. *Si quis, inquit, in agritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet: non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est.* Si baptismus timore mortis susceptus Concilio videtur coactus, quantum magis Pœnitentia, ad cuius voluntariam susceptionem plura requiruntur quàm ad Baptismum? Et rationem reddit Ambrosius verbis supra citatis, *Quia si vis agere pœnitentiam, quando peccare non potes; peccata te dimittunt, non tu illa: quasi cum virtuali quadam voluntate peccandi, si vitæ non instaret finis.* Quod proprium esse reprobatorum docet Gre-

Difficultas maxima detestandi peccata iis, qui peccatis aluuerunt.

Pœnitentia in extremo vitæ sic, ut in pluribus, ficta.

Hieronym.

Cyprianus.

Augustinus.

Hugo Viç.

Conc. Neoc.

Gregorius.

gorius dialog lib. 4. cap. 44. vbi: *Iniqui, inquit, voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare: ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum viuunt. Quod præcipuè ad eos pertinet, qui non faciunt finem peccandi, nisi cum instat finis viuendi.*

XXIX.  
Pœnitentia  
ficta, Regis  
Antiochi  
exemplo,  
ostenditur.  
2. Mach. 9.

Confirmatur hoc, quod dicimus pœnitentia ficta ex metu mortis, exemplo Antiochi Regis, 2. Machab. cap. 9. Hic enim, cum extremo morbo premeretur, signa maximæ edidit pœnitentiæ quæ reducuntur ad octo. Primum signum fuit cognitio sui: *cœpit diuina admonitus plaga, ad cognitionem sui venire.* Secundum, cognitio Dei, & humiliatio sui sub manu Dei, dum ait, *Iustum est esse subditum Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Tertium oratio & deprecatio ad Deum: *orabat hic scelestus ad Dominum.* Quartum signum, propositum refarciendi damna illata, idque promissione firmatum. Quippe, *Iudeos, quos se cum paruulis exterminaturum dixerat, æquales Atheniensibus facturum pollicetur: Templum etiam sanctum, quod prius expoliauerat, optimis donis ornaturum: & sancta vasa multiplicaturum, nempe redditurum plura quàm abstulerat.* Quintum propositum, faciendi alia opera bona supererogationis, *pollicitus pertinentes ad sacrificia sumptus de suis redditibus præstiturum.* Sextum, humiliatio sui cum subditis: & epistola deprecatoria suis hostibus, quos in vita fuerat ad internecionem insectatus: *non cessantibus doloribus, scripsit ad Iudeos in modum deprecationis epistolam.* Septimum, abnegatio ethniciſmi, & totalis conuersio ad veram Religionem, quam fuerat antea persequutus, *Pollicitus super hæc & Iudeum se futurum.* Octauum signum pœnitentiæ, votum vitæ in posterum traducendæ relicto Regno, assiduis peregrinationibus ad Dei laudem & gloriam ordinis: *Pollicitus se omnem locum terra perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem.* Non possent in Christiano homine plura pœnitentiæ signa desiderari: & vix quis ea sperare se potest exhibiturum in sua morte: & tamen pœnitentia tot iudiciis exhibita veniam non meruit apud Deum. Dicitur enim ibidem, *orabat hic scelestus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus.* Quippe, vt notat Lyranus, *eius pœnitentia non fuit vera, quia non fuit propter offensam Dei, sed tantum propter euasione corporalis flagelli: & sic non fuit misericordiam consequuturus quantum ad remissionem nec culpe, nec pœnæ.* Hæc de difficultate veræ pœnitentiæ in morte, ex difficultate veri doloris spectati secundum se.

Lyranus.

Patet idem quondò ex difficultate orta à circumstantiis. Mors enim imminens non modò non faciliat pœnitentiam, sed etiam maxime difficultat: Quia actus pœnitentiæ exerceri non potest nisi à voluntate, cuius est detestari peccatum: voluntas verò fertur in cognitu-

& sic ad obiectum non mouetur, nisi præuio actu intellectus. Hic indiget magna attentione, vt consideret obiectum spirituale, & maxime abstractum à sensibus: neque potest ad hoc manuduci, nisi præuia & concomitante phantasia, circa idem obiectum phantasiante. Phantasia, cum sit affixa organo corporeo, ex debilitate & læsione organi, in suis operationibus debilitatur, ac læditur. Vnde fit, vt ex connexionem cum illa intellectus etiam debilitatur ac lædatur in suis. Cum igitur in graui morbo lædantur præcipue partes principes, & sic maxime caput, cui affixa est phantasia; hinc oritur summa difficultas aduertendi, & attendendi ad ea motiua que necessario ad actum pœnitentiæ debent præconciipi. Si enim ad hæc attendere perdifficile est integris corporis viribus homini beneuolenti; quid erit in ægro tante, inter morbi & mortis angores?

Mors imminens difficultat doloris actus ad penitentiam necessarios.

Affui cuidam viro religioso extremo morbo laboranti. Quem cum ad nescio quos eliciendos pietatis actus hortarer, affirmans his se debilitate capitis prohiberi: *Nisi*, inquit, *hac opportuno tempore anteuertissem, actum omnino nunc esset de mea æterna salute.* Sic ille. Quod equidem experientia didiceram. Quippe cum vigesimum quartum ætatis annum agerem, ad extrema deductus, ac certior à medicis factus me ea nocte obiturum; cum totus, vt par erat, in animæ salutem incumberem: ea debilitate capitis oppressum me sensi, vt patrum astantium, qui mihi de more varios pietatis actus suggererant, sonum tantum vocis audirem, sensum verborum, etiam si in id maxime intenderem, aliquando vix, sæpissime ne vix quidem perciperem: eorum, qui animæ commendationi vacabant, labore penè irritato.

Huc accedit quod etiam ante extremos angores, in ipso cursu morbi, sæpe adest parosissimus febris; in quo vix ager est sui compos: sæpe parosissimus parosissimo succedit. Quando vis morbi remittitur, ægroto à medico imperatur somnus. Si quid superest temporis, absorbent illud curæ domesticæ hominis, tam longum iter facturi: testamenta, codicilli, extrema cum amicis & consanguineis colloquia non ulterius reuiscendis. Hæc omnia & singula maximum, & speciale præbent, in eo statu pœnitentiæ impedimentum. Quod egregie profequens Augustinus ad fratres de eremo serm. 48. *Azite*, inquit, *pœnitentiam antequam vos inimica natura mors aggrediatur. Nam, cum in extrema aegritudine fueritis, o quam forte, quam durum, quam pœnosum, quam lachrymabile erit dolere de malis commissis, & de bonis omissis. Quia illuc rapitur tota intentio mentis, vbi tota est vis doloris. Multa enim occurrunt impedimenta cordis: nam corpus dolet, pœna affligit, quia mors appropinquat. Filios, quos patres summe dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existimant, teneboso oculo aspiciunt: uxores jam lachrymantes considerant: mundus adhuc eis*

XXX.

Augustinus.

h ij

*fiduciam praestat : caro non deficere adhuc sperat : medici, ut lucrentur, ipsum confortant : parentes applaudunt : amici alliciunt : & sic divites moriuntur in inferno. Laurentius Justin. libro de contemptu mundi cap. 14. O quam innumeri, inquit, quotidie decipiuntur, differentes de die in diem converti ad Dominum, arbitantes ad libitum poenitentia posse captare remedia. Ita mortis deprehensi articulo, atque angustiis afflicti, pene nihil aliud quam de se cogitare sufficiunt : revolventes animo sedulo quibus remediis suis valeant mederi doloribus. Et infra : Fit autem persape ut circa talia occupati interius, salutis propria minime recordentur, & absque ulla vera compunctionis dispositione deficiant.*

*Poenitentia  
difficultat  
mortis vici-  
nae timor.  
Gregorius.  
Ephrem.*

Adde his timorem vicinæ mortis, ita exhaurientem spiritus, ut pene cogat mori ante mortem. Adde timorem divini Iudicii imminentis, dum, ut ait Gregorius, *anima exire de corpore trepidat : & videre eum, quem contempsisse se meminit, Iudicem formidat.* Quæ de re sanctus Ephrem sermone 3, de compunctione : *Magnus, inquit, pavor est mortis tempore omnibus peccatoribus mei similibus. Graviter tunc dolore cordis excruciat, qui hic dum viveret, salutis suæ curam neglexerit ; adeo ut poenitentia ejus cruciatus ipsum quoque mortis ac separationis timorem excedat.* Astiti aliquando cuidam Religioso valde probo, laboranti in extremis ; qui, cum eum ad fiduciam hortarer, *Nescis, inquit, quam horrendum sit recordari Dei vel se male violasse præceptum.* Italicè habet emphasim, *l'haver trasgredito il commandamento d'un Dio.* Adde, ex his qui malè vixerunt, multos repentina morte sublato, ut iis specialiter Deus comminatur, Prov. 1. & nos notavimus tract. præced. cap. 4. num. 34 Adde innumerabiles qui moriuntur in bello, sive nulla confessione prævia, sive metu extorta : postquam statim ad flagitia militiæ redeunt. Adde quamplurimos ex incendio, & terræmotu absumptos. Nam postremo Vesuvianò incendio quinque circiter hominû millia, terræmotu Calabriæ, paulò post ad triginta millia extincta traduntur. Ex his, qui semimortui evasere è ruinis, in quibus jacuerant semisepulti, acceptum est quid sperari possit de his qui post breve vitæ intervallum inter ruinas mortui sunt. Testati enim sunt iis subito casu oppressis, nihil aliud animo obversatum esse quàm præsens periculum, imminentemque mortem evadendi anxiam sollicitudinem, quæ posset evadi. Ego quoque idem expertum me testor. Nam, cum non multò ante Vesuvianum incendium terræmotus ingens Neapolim intempesta nocte concuteret, atque è somno repente excitatus cubile, cubiculum, parietes, solum, omnia contremiscere inaudissem ; tam vehemens me timor invasit, ut ne ullum quidem, cum maximè vellem, contritionis actum elicere qualitercunque potuerim. Alia etiam vice, parosissimo quodam oppressus, qui me suffocare videbatur,

*scimus*

postulata confessione, cum subito Confessarius aduolasset absolutionem petenti impertiturus, gestu hominem prohibui, cum voce non possem; eò quod ne attritionis quidem actum elicere potuissem. Hæc ad meam confusionem sint scripta, & instructionem aliorum, ut videatur quid sperari possit de confessionibus in extremo vitæ factis, occupante sensum præsentis morbo, imminente morte: quæ pleræque, si minus sacrilegas, quia fortasse bona fide fiunt, tamen informosa; & sine vlllo Sacramenti effectu contingere existimo, ex defectu doloris delicti, ad talem affectum necessarij; quem tunc elicere, præsertim homini habituato in peccatis, est omnino perdifficile, difficultate orta ab intrinseco, ratione status ægritudinis præsentis & vicinæ mortis.

Patet denique septimò ex circumstantiis extrinsecis, ob extraordinarias tentationes quibus dæmones infestare solent morientes. Adest enim tunc: ut dicitur Apoc. 12. *Diabolus habens iram magnam sciens quia modicum tempus habet.* Ideo dicitur etiam Iob 40. *stringere quasi cedrum caudam suam:* quia, ut notat Gregorius lib. 32. Moral. cap. 16. *quos per praua initia cæperit, ad finem deteriores reddit: ut tentamenta eius quò sunt citius cessatura, eò valentius compleantur: quia enim suis pœnis eorum satagit equare supplicium, in eos ardentius autem mortem nititur exaggerare peccatum.* Terribile est, quod narrat Platus de bono status Relig. libro 1. cap. 31. cum quidam Cuno Malburchensis oppidi Dominus post quadraginta annos, quibus in seculo malè vixerat, Religioso habitu inter Cistercienses Monachos suscepto, ad pœnitentiam confugisset, ac triennio post ad extremam vitæ deductus esset, confertissimè ad eam quamplurima dæmonum agmina accurrerunt. Nam eodem tempore dæmon, qui energumenam obsidebat, narravit se & alios ex suis quindecim mille (tot enim fuisse fassus est) in morientis cubiculum aduolasse, ut singuli in contentando conatus adhiberent extremos: sed precibus, ut dicebat, tonsatorum, idest Monachorum, depulsos irritò conatu abiisse. Magnam porrò iniustitiam sibi à Deo querebantur illatam, eo sibi crepto è manibus, qui quadraginta annis sæculo, seruisset tribus Deo. Si quindecim millia dæmonum conspirarunt ad eum tentandum in morte, qui per triennium in sanctissima Religione pœnitentiam austerissimam egerat: certè totas pœne infernus suas vires effundet, ne, qui peccata protraxit ad mortem, in eo articulo suis manibus clabatur.

Patet octauò ex difficultate orta ex diminutione diuinorum auxiliorum. Nam cum certum sit ad donum finalis perseuerantiæ specialia requiri auxilia, quæ aut abundantius, aut parcius tribuere in diuina est potestate: postulat cursus ordinarius gratiæ, iuxta quem Deus vt plurimum operatur, vt in pœnam præcedentium delictorum dentur auxilia.

XXXI-  
Diabolus  
omnes adhi-  
bet conatus  
in extremo  
vitæ ad mo-  
rrientium  
perniciem.  
Apocal. 12.  
Iob. 40.  
Gregorius.

Difficultas  
pœnitentiæ  
in extremo  
vitæ ex di-  
minutione  
diuinorum  
vt

Proverb. 1.

XXXII.  
Pœnitentia  
in morte  
est vera est,  
stabilis non  
est.

ad resistendum tentationibus auxilia tenuiora his, qui vitam plerumque in peccatis duxerunt, quàm iis, quos extremus morbus reperit aut innocentes, aut pœnitentes. Si autem Deus ante omne peccatum aliquibus dat gratiam sufficientem, eam nimirum cui præuidet illos ex propria malitia non consensuros, quia non tenetur dare efficacem; quantò magis post longam seriem peccatorum, ex qua quis positivè demeretur gratiam efficacem, eam iurè denegabit? non solum quia non tenetur dare, sed etiam quia ex ipsomet peccatoris demerito, de lege ordinaria, in pœnam peccatorum præcedentium quasi tenetur eam non dare. Ideo protestatur Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuistis, &c. ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Equum enim est ut qui in vita Deum irriserunt, à Deo irrideantur in morte, ut notatum est supra. Ex hac autem imminutione diuinorum auxiliorum in tanto incremento diabolicarum tentationum, difficillimum omnino sit, ut quis ad veram pœnitentiam resurgat in fine vitæ: & sic pœnitentia sera rarissimè est vera.

Paret idem denique vltimò, quia si vera est, stabilis non est. Nam etiam dato casu, quod quis in extremo morbo hortatu Sacerdotum, ex formidine gehennæ attritione coniuncta cum sacramento, pertingat ad pœnitentiam veram: facillimè tamen ex ea decidet ante mortem, ex rationibus ante dictis. Tum ex habitu vitioso, per tam longum tempus contracto, recidendi si minùs opere, saltem consensu, in peccata. Tum ex imminutione diuinorum auxiliorum, quæ est pœna peccati etiam remissi. Tum denique ex Dei permissione, quia iuxta leges communes permitti solent Dæmones tentare tunc grauiùs, ut ex Gregorio, ostensum est: & sic facilè, adhibendo extremos conatus, retrahunt ad se eos, qui per modicum tempus euaserant.

Affui quondam cuidam ægroto agenti animam, cui obtulit dæmon conspiciendas quatuor puellas saltantes, & nudas: neque ille animaduertit dæmones esse sub puellarum specie, sed veras puellas censuit irridens id quod audierat, dæmones in obitu apparere: cum non dæmones videre se diceret, sed puellas. Is modò antea ritè confessus, valde tunc me reliquit ancipitem, an illa tentatione prostratus sit: cum nulla postea ediderit aut doloris, aut pietatis indicia. Affui etiam alteri ægroto, cui dæmò speciem illius mulieris exhibuit, quam sanus deperierat: eamque, citra omne delirium, existimabat astare prope cubile, in quo iacebat. Alteri prope mortem species oblata est eius cum quo inimicitias gesserat, illi insultantis ac de eius morte exultantis. Graues has tentationes in morte Deus permittere solet iis, qui nimium sibi fidentes pœnitentiam protraxerunt ad finem vitæ. Affui quoque alteri, qui iam pœnitentiæ sacramento ritè suscepto, à febris ardentissima concitatus ad sitim, à siti ad aquam summo ardore concupiscendam & petendam, ab aquæ potu à se flagitato, à suis dene-

gato concitatus est ad vehementissimam iracundiam : ab hac ad horrendas blasphemias , quibus par est credere eum assueuisse in vita. Quid de illa anima actum sit , Deus nouit. Quidam reus cum , post confessa Sacerdoti peccata , crucifixum pie , vt assolent , manu gestans ad supplicium duceretur , oblato mulierum aspectu per viam , peccato , quod opere perpetrare non poterat , cogitatione consensit vt idem postea falsus est : validiore prauo antea vitæ habitu ad admittendum peccatum existente , quàm ipsa mortis imminentis præsentia ad cauendum. Alius , qui mulierem inhonestè adamauerat , eum post susceptum Pœnitentiæ sacramentum laboraret in extremis , tabellam pictam petiit , quæ è proximo pariete pendeat. Qui astabant rati imaginem esse cuiuspiam sanctæ , quam ille coleret , eam ægrotò attulerunt : erat autem effigies mulierculæ illius , de qua dixi. Eam mox : insciis astantibus quidnam id esset , ac pictatis sensui tribuentibus , osculari cœpit ardentissimè , atque inter illa infelicia oscula infelicissimè periit.

Concludam rem totam alio memorabili exemplo , cuius ab antiquioribus Societatis Patribus certa traditio ad nos peruenit : quò perspicuè apparebit inueteratus in malo vsus quantum in ipso vitæ fine valeat : præsertim si , vt sapissimè contingere solet , inter morbi vices aliqua vitæ spes affulserit : dum , iuxta illud quod diximus ex Augustino , *caro sperat , medici confortant , consanguinei applaudunt*. Quidam mulieris prauo amore per plures annos detentus , in morbum incidit. Quo inualecente , stimulis conscientiæ acrius incitatus , Confessarium è nostris aduocat : peccata magno animi dolore aperit : impuro amori planè renunciat. Soluuntur oculi in lachrymas : absolutionem impetrat , mulieris illius neque congressu , neque conspectu postea admisso : sacrum illi Viaticum administratur , tanto animi sensu , ac detestatione peccati , vt Confessario videretur illa vehemens contritio tam plenè satisfactura , vt is Purgatorio solutus mox liber euolaret ad cœlum. Breui moritur , exultante Confessario , ac Deo de salute illius animæ maximas agente gratias. Hic vt Sacri tempus aduenit , ad Altare accessit Missam pro defuncto celebraturus. In ipso sacrificii exordio umbra illi quædam se obtulit ; sed ita obscurè , vt dignosci satis non posset. Cùm verò ad altare ascendisset introitum inchoaturus , & *requiem æternam dona eis Domine* dicturus ; clarè is qui modo defunctus fuerat , dispiciendum se dedit : atque hæc verba distinctè pronunciauit , *Ne facias pro me Sacrum ; damnatus enim sum*. Perturbari Sacerdos , vt par erat , horrescere , contremiscere ; ad Sacrum prosequendum deficiente etiam habitu ac voce. Sed à Deo suffectis viribus , & Sacro pro aliis defunctis , vrcumque potuit , peracto ad arcanum locum se contulit. Ibi Deum non sine lachrymis precatus , vt quando dignatus erat , sibi detegere animæ illius infelicis

interitum, causam etiam detegere dignaretur. Sollicitabatur quippe pius Sacerdos ea cura, ne fortè miser ille ipsius negligentia periisset. Ne morer pluribus, orauit, exorauit. Namque inter has preces iterum ille conspectui se reddidit ac lamentabili voce. Ne puta, inquit, me tua culpa aut incuria periisse. Confessio, qua tibi peccata detexi, integra fuit & salutaris: detestatio peccatorum vera: votum non vltius peccandi, firmum & efficax. Absolutio, quam mihi sæpius impendisti, nunquam irrita cecidit: sed ablutus omni peccati macula in gratiam cum Deo redii. Atque vtinam tunc anteuertisset me mors; nunc inter damnatos non essem. Sed cum postea, Viatico sanctè & fructuosè suscepto, morbi vis remittere videretur, spemque vitæ conciperem, obtulit meæ menti diabolus mulieris illius simulachrum, cui me longo vsu lasciuus amor deuinxerat, quæ amoris speciem præferens, ita me alloqui videbatur. Nonne si vixeris, & conualueris, ad priores simul dilicias redibimus? *Annui*, miser, ex praua consuetudine, ad assentiendum procliuus & vix assensu præstito, iusto Dei iudicio reualescente repente morbo, efflavi animam infelicem. Heu ob momentaneam cogitationem æternis addictus flammis, vt tibi faciet aspectus fidem. Inter hæc verba, vestem, qua videbatur indutus, aperuit; & flammæ delitescens, quibus acerrimè inardescerat, detexit. Mox ab oculis euauit, à dæmonibus denuò arreptus, ac retrusus ad tartara. Discant hinc alienis, vt dici solet, impensis, qui nimium sibi fidentes pœnitentiam prorogant ad extrema. Nimis serò initium fit bonæ vitæ, cum finis est vitæ.

## CAPVT VIII.

*Soluitur argumentum ductum ab exemplo boni Latronis.*

XXXIII.  
*Augustin.*

**V**Nicum argumentum afferri solet ductum ex bono Latrone, qui malè vixit, bene mortuus est. Quod confirmari potest ex Augustino libro de prædestinatione contra Pelagianos, vbi: *Novimus*, inquit, *aliquos à iuuentute sua in omni scelere & damnabilitate vsque ad ætatem decrepitam perdurasse; & repente celitus inspirata salute raptos esse ad Regna calorum. Novimus etiam aliquos perfectos ex labore multorum annorum, prolapsos in ultimo vite sue, & periisse.* Respondeo hæc nihil contra nos facere, qui dicimus tantum contingere hoc in paucissimis. Immo argumentum hoc à bono Latrone ductum, potest contra aduersarios multipliciter retorqueri. Quod paulò fusiùs prosequar; quia in hoc exemplo fundantur, qui malè viuentes bonam mortem præsumunt. Retorqueo primò. Si bonus  
Latio

Latro traductus est in fine vitæ à reprobis ad electos, tunc temporis Iudas traductus est circa finem vitæ ab electis ad reprobos: & ut egregiè Theophil. Raynaudus duplici libello adnotavit, *duplex facta est metamorphosis*, nempe *latronis in Apostolum, & Apostoli in latronem*. In illo *peffima vita optimus exitus: in hoc optima vita exitus peffimus*. Unde fit, ut si aliqui qui malè vixerint, conversi in morte augment numerum electorum; aliqui etiam, qui existimati sunt bonæ vitæ, perverfi in morte auxerint numerum reproborum.

Respondeo secundò, quia pœnitentia latronis, si comparetur ad pœnitentiam adulatorum fidelium qui convertuntur in morte, non fuit pœnitentia sera. Quippe, cum versatus esset in sylvis, credibile est ad eum non hæcenus pervenisse notitiam Christi, nisi valde confusam. Et sic latro, ut notat Gregorius 18. moral. cap. 23. *subita repletus gratia fidem accepit in cruce*. Quamobrem, cum primò vocatus est ad fidem per notitiam Christi, non distulit assensum; sed illico præstitit, ac pœnitentiam egit: ac proinde pœnitentia latronis, post Christi notitiam, festina fuit, non sera. Quod adnotans Eusebius Emisenus homil. de bono latrone: *Ille, inquit, nec salutis tempora, nec remedia status sui in momenta ultima, infelici fraude, posuit: nec redemptionis sue spem in desperationis novissimum recensuit: nec religionem antè, nec Christum scivit. Quod si scivisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus in numero, qui prior factus est in regno. Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem non fuit extrema hora illa, sed prima*. Idem testatur Ambrosius in Luc. 23. ubi: *Citò, inquit, ignoscit Dominus: quia citò ille convertitur*. Non possunt igitur ex hoc latronis exemplo concipere fiduciam pœnitendi in morte adulti fideles: de quibus est præfens quaestio. Quia hi, post acceptum lumen fidei, differunt veram pœnitentiam per annos: quam bonus hic latro non distulit per horam.

Retorqueo tertid: quia pœnitentia latronis fuit quidem parva extensivè, sed fuit maxima intensivè, cum summis actibus fidei, & charitatis: quos ratione circumstantiarum eximios, impossibile est non nisi in paucissimis, immò nec in paucissimis inveniri.

Primò quoad actum fidei latro in Christum credidit in medio populi non credentis, & contradicentis: ac dum ceteri omnes saltem dubitarent in fide, ipse fidem ab Apostolis derelictam arripuit: ac solus in tota Ecclesia fidelis repertus est cum Deipara. Quippe, ut notat Augustinus serm. de SS. Casto & Emilio, *tunc in Christum latro credidit, quando fides Apostolica trepidavit*. Idem serm. 140. de tempore: *Inter signa, inquit, atque virtutes attestantibus miraculis, & acclamantibus, aliquoties in discipulis mens iam robusta vitubavit. Et nunc Christi supplicii quodammodo contradicentibus in latrone fides novella convaluit*. Drogo etiam de sacram. Domin. pass.

Raynaudus.

Gregorius.

Emisenus.

Ambrosius.

Augustinus.  
Latro in cruce fide vicit  
Apostolos.

dicit Petrum, & latronem permutasse vices. Petrum quidem fuisse latronem in domo Caiphæ: latronem verò fuisse Petrum in cruce. Idest, latronem evasisse Apostolum in cruce, dum Apostolus se gessit ut latro in domo Caiphæ.

*Chrysofom.* Mirabilior fides, quòd non ex miraculis, sive eclipfi, sive terræmotu; (quæ, ut notat S. Leo serm. 2. de passione, consequuta sunt post confessionem latronis) sed Christum, & Regem, & Deum agnovit in solo crucis opprobrio. Ideo Chrysofomus homil. de cruce, & latrone eum alloquens. *Dic mihi, inquit, regnum commemorans, quid regium vides? clavi, & crux est, quod aspicias. Sed ipsa crux, inquit, regnum est. Et ideo eum regem nomino, quia crucifixum inspicio.*

*Ambros.* Ambrosius etiam serm. 45. *Illud, inquit, ad gratiam ejus (latronis) maioris est meriti, quòd Christum in cruce credidit: & passio, qua aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit.*

Divinitatem etiam Christi ab eodem agnitam, & creditam testatur Chrysofomus homil. cit. dum: *Videt, inquit, in tormentis, & tanquam in gloria adorat. Videt in cruce, & rogat quasi in caelis sedentem.* Et infra: *Judæi crucifixerunt, qui noverunt legem, & prophetas. Tu verò Deum vocas condemnatum, & crucifixum adoras.* Augustinus etiam dicit à latrone cognitam esse Christi divinitatem. Nam serm. cit. de SS. Casto & Emilio: *Credidit, inquit, in cruce pendentem, & consortem crucis agnovit Deum.* Idem testatur sanctus *Maximus.* Maximus homil. 1. de Latrone: *Fidelis, inquit, latro non credidit moriturum, quem annunciat regnaturum: Non putavit subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in caelo. Cernat licet ejus hiantia vulnera, spectet ejus sanguinem profluentem; Deum tamen credit.* Et Anastasius Sinaita lib. 5. hexa. de S. Latrone loquens, *volucris, inquit, caeli, magna Aquila per aërem volans in Paradisum.* Quibus verbis alludere videtur ad Joannem Apostolum, ex celeri agnitione divinitatis in Christo, assimilatus Aquilæ volanti.

Clarior etiam fuit Latronis de Christi divinitate confessio, quàm Petri Apostolorum Principis, dum dixit, *Tu es Christus Filius Dei vivi:* Quippe non viderat Latro, ut viderat Petrus, Christum transfiguratum in monte, quando *resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix,* Matth. 17. sed videbat cui non erat aspectus, ex Il. 53. & videbat spoliatum & nudum. Non audierat *Moysem & Eliam cum eo loquentes;* sed audiebat Pontifices & Phariseos cum subsannantes. Non intonuerat in ejus auribus vox Patris, *Hic est Filius meus dilectus;* circumsonabant undique contumeliæ & opprobria praterentium. Prodiderat Christum Judas: abnegaverat Petrus: dereliquerant cæteri. Silebat Magdalena: silebant Mariæ reliquæ: silebat Joannes: silebat Deipara. Solus Latro testimonium Christo reddidit, & quod corde conceperat, statim ore

depromptit, Domine, memento mei, &c. Hanc fidem animaduertens Chrysoſtomus hom. 2. in Psal. 50. *Quid contulit, inquit, Deus ſaluti ipſius? remiſſionem peccatorum. Quid contulit latro? confeſſionis fidem. Qualem? grandem, excelsam nimis, calum tangentem. Indai viderant mortuos ſuſcitatos, leproſos mundatos, demones fugatos, mare infranatum, piſcem ſtaterem portantem, ſtellam rutilantem, Magos concurrentes, Herodem turbatum. Hæc omnia videntes crucifixerunt Chriſtum. Latro verò nihil horum videns conſiderabat ſputis repletum, crucifixum, aceto potatum & felle: cum hæc omnia videret, non eſt ſcandalizatus; ſed Regem calorum confeſſus eſt. Vides quod non ſine cauſa miſericordiam conſequutus eſt, quia & ipſe fidem intulit ad ſalutem ſuam. Denique, ſi eximiam confeſſionis fidei factæ à Petro præmium fuit primatus in Eccleſia militante, eximiam confeſſionis fidei factæ à Latrone præmium fuit quidam primatus in Eccleſia triumphante. Ideo ſanctus Paulinus epiſt. 11. ad Seuerum, *Latro, inquit, longas Sanctorum vias de momento fidei & confeſſionis anticipans, merito ante ipſos Apoſtolos & Martyres Regnum prius inuaſit, & primus celi prædo diripuit.* Hæc de eximia fide Latronis.*

Chryſoſtom.

Latro per eximiam fidem primatum habuit in Eccleſia triumphante.

Secundò, intulit Latro actum etiam eximium ſpei, ſperans ſalutem ab eo qui, vt exprobrant Principes Sacerdotum, & ſeniores, alios ſaluos fecerat: ſeipſum non poterat ſaluum facere, Matth. 27. Et, vt notat Bernardus tract. de Paſſione Domin. cap. 9. *ab eo fiducialiter petit auxilium, qui indigere videbatur auxilio. Sperauit æternam vitam ab eo, quem tanquam ſocium criminum videbat ſocium ſupplicii. Sperauit veniam ab eo conſequuturum etiam blaſphemiarum & conuiciorum, quæ paulò antè in eum ipſe iactauerat: cum duo latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei, Matth. 27. quod de utroque latrone, quidquid aliqui aliter ſentiant, Patres intelligunt. Ideo Auguſtinus ſerm. 6. de diuerſis, ſpem Latronis ſpei Diſcipulorum longè antepoſuit. Arnoldus Carnotenſis tract. de ſecundo Chriſti verbo, eum appellat ſpei exemplum: qui dum ingemit, ſubitò quod querit, inuenit: quod petit, accipit: & illico audit, Hodie mecum eris in Paradifo.* Denique ſperauit, vt idem notat, illo temporis articulo, quo fere ab ipſis Apoſtolis ſalus deſperabatur.

Bernard.

Arn. Carn.

Tertiò, edidit Latro actum eximium charitatis proximi, inter angores mortis, quaſi magis de ſocci ſpirituali ſalute ſollicitus, quàm de ſua, priùs peccatum illius reprehendit, quàm precatur pro ſuo: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? &c.* Præceptum charitatis de correctione proximi, quod pauci inter Chriſtianos ſeruant in vita, ipſe ſeruauit in morte, inter extremos Crucis, cui ipſe quoque clauis affixus erat, dolores: & vt notat Chryſoſtomus homilia 1. de Cruce & Latrone, *clauorum conſixione conſtrictus ſuas neceſſitates prætermittens, aliorum vtilitatem cogitabat; & ſanis*

Charitatis actus erga proximum à S. Latrone exhibitus.

Chryſoſt.

Gregorius.

persuasione alium inuitabat ad vitam. Idem animaduertens Gregorius lib. 18. Moral. cap. 23. Charitatem, inquit, *Latro in morte sua uinaciter tenuit, qui fratrem, & collateralionem pro simili scelere morientem, & de iniquitate sua arguit; & ei vitam, quam non cognouerat, prædicauit.* Certè eximia fuit sancti Latronis charitas erga proximos, quod Christi redemptionem & regnū, in ipso mortis agone, Iudæis ac Gentibus annunciauit primus, Christi morientis prece, sicut Baptista nascentis. Ideo ab Arnolde tract. de septem uerbis: dicitur *Latro collateralis Christi, & præcursor eius uictoria.*

Charitatis  
actus erga  
Christum à  
S. Latrone  
exhibitus.  
XXXIV.

Quartò, edidit Latro actum eximium charitatis erga Christum, in quibusdam maiorem charitate Apostolica. Nam Apostoli Christum sequuti sunt ab eo exterius uocati: Latro non uocatus à Christo, ei se ultro exhibuit in discipulum. Apostoli Christum sequuti sunt in prospera, ut ita dicam, fortuna; cum coruscaret miraculis, atque ut Messias & Rex acclamaretur à turbis: Latro Christi se professus est affeclam (quod proprium amoris est) inter aduersa; cum ille pendere è trabe, morti proximus, despectus à turbis, desertus à suis. In hoc statu eius suscepit patrocinium, quem non nouerat, contra sodalem, cum quo uixerat. Crescit hæc charitas ex circumstantia status ipsiusmet Latronis. Quippe, ut notat Arnolde de secundo Christi uerbo, *Hora mortis erat iamque confitentis anima faucibus hærebat, iamque linguam eius alligabat angustia; cum, ut notat sanctus Leo ser. 4. de Passione, inter lætantis anima dura tormenta hærens patibulo transiit ad Christum.* Tunc inter mortis angustias immemor sui, memor Christi, eum conuiciis à collega proscindi non tulit: & respondens (utique non pro se, sed pro Christo) non requisitus pro illo Apologiam suscepit: atque extremum halitum, qui uix liberè meabat ad vitam, totum in Christi defensionem effudit. Quod expendens Gregorius lib. 18. Moral. cap. 23. *In cruce, inquit, clauis manus eius pedesque ligauerunt, nihilque in eo à pœnis liberum, nisi cor & lingua, remanserant. Inspirante Deo, totum illi dedit quod in se liberum inuenit; ut iuxta id, quod scriptum est, corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem.*

Arnold.

S. Leo.

Gregor.

Elucet magis hæc charitas ex eo quod non solum contra collegam, sed etiam contra Principes Sacerdotum, contra Scribas & Phariseos, & contra uniuersum populum Iudæorum Christi causam suscepit: tum quia tacite Iudæos reliquos reprehendit, dum dixit, *Neque tu times Deum?* Nam, ut bene aduertit Raynaudus in libello de sancto Latrone, cap. 8. particula (neque) est conjunctiua, & reddit hunc sensum: Etiam tu cum his non times Deum? & sic indirectè reprehendit Iudæos omnes, tanquam in Christi improperiis ostenderent non timere se Deum: Tum quia, silentibus Dei para & Ioanne, contradicentibus qui astabant cæteris, ipse zelo honoris Christi inardescit.

ens, eius innocentiam declarauit: & quem paulò antè in concilio Pontifices & Sacerdotes clamauerant reum mortis, audet ipse coram iisdem in cruce pendens, tanquam in tribunali sedens, pronunciare innocentem: *Hic verò nihil mali fecit*: & vt notat Chrysoftomus in oratione de cœco, *qui fuerat in iudicio reus, egit in cruce iudicem & magistrum*. Fortitudinem in hoc Martyrum anteuertens; qui coram Christi persecutoribus vltro se Christi asseclam, idest Christianum esse, professus est. Neque iudicium astantium veritus, qui eum habituri erant vt insanum; neque cruciatuum accessiones, quas à Iudæorum & carnificum turba meritò poterat formidare.

Ideo Patres eum tanquam martyrem prædicant, vt mox subiiciam. Et Arnoldus Abbas tract. de septem verbis, propter hanc eximiam charitatem dicit, *ibi latronem locatum, vnde Lucifer corruit*. Nec desunt qui dicant sancto Latroni datum esse in cœlo singularem quemdam, & diuersi ordinis locum, tanquam Christi aduocato. Quippe multos Christus Apostolos habuit, plures Discipulos, plurimos Martyres, ac sui nominis testes: cùm verò reus apud Iudæos causam dixit, aduocatum non habuit nisi vnicum, nempe sanctum Latronem, qui vnus Christum in cruce contra omnes omnium aduersariorum insultus ausus defendere, meritò à sancto Chrysoftomo homilia de cœco nato, dicitur *Christi aduocatus*. Hæc de charitate erga Christum.

Latroni peculiarem in cœlo locum datum esse, opinio aliquorum.

Quintò, attulit Latio iuxta mensuram charitatis, qua ardebat, actum contritionis eximium. Ideo dicitur ab Arnolde tract. de septem verbis; *pœnitentia regula, confessionis forma*. Et magis de peccato dolens quàm de morte, non petit à Christo vitam, sed peccatorum remissionem. Quod aduertens sanctus Maximus hom. I. de Latrone: *Tam repente, inquit, mutatus est, vt presentem pœnam despiceret, ac de futura tantum veniam deprecaretur. Remissens enim scelerum suorum, & pœnitentiam gerens, plus incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur*. Tum etiam, quia doluit plus de culpa quàm de pœna: petens pœnas luere vsque ad diem iudicii, & ad secundum Christi aduentum. Quod significasse videntur iis verbis, *memento me dum veneris in regnum tuum*. Quæ est animaduersio Augustini ser. 27. ex 40. nouiss. qui, *Crucifixum, inquit, videbat, & regnaturum sperabat. Memento, dixit, mei non modo, sed dum veneris in regnum tuum. Multa, inquit, mala feci: sufficiunt tormenta mea, vsque ad aduentum tuum modo torquor: tunc mihi parce, cum veneris*. Idem ferm. 120. de tempore respondens ex persona Christi, *Quid me, inquit, exorandum putas, vt in die iudicii meminerim tui? Quid me ad presentem retributionem paratum, in tempora tam longa dissimulas?*

Contritionis actus à S. Latrone exhibitus. Maximus.

Augustin.

Hunc dolorem comitata est confessio peccatorum publica: Nos

S. Latronis in  
cruce publi-  
ca confessio.  
Chrysofom.  
Arnold.

quidem iustè, nam digna factis recipimus. Quæ verba expendens Chrysofomus hom. 1. de cruce, & latr. *Vidisti*, inquit, *plenam confessionem: vidisti latronem in cruce suis renunciaſſe peccatis? Nullus impulit: nullus necessitate conſtrinxit: sed ipse sponte sua peccata publicabat dicens: Nos quidem iustè, &c.* Arnoldus etiam loco cit. *Sibi*, inquit, *non parcat: accusator est sui: se ipsum, contra se sententia prolata, persequitur.*

S. Latronis  
pro peccatis  
satisfactio.

Sequuta etiam est satisfactio, primo quia sodalem, quem antea verbo, exemplo, incitauerat ad peccandum, tunc verbo & exemplo inuitauit ad pœnitentiam. Secundò, quia cum ipse paulò antè vnà cum socio impropèrasset Christo; quippe *latrones, qui crucifixi erant cum eo, impropèrabant ei*, Matth. 27. postea coram omnibus cecinit palinodiam, & publicè priùs dicta retractauit, testans Christi innocentiam, potentiam, & regnum. Tertiò, quia patienter pertulit cruciatuſ, & mortem pro peccatis: quod expressit dicens, & *nos quidem iustè*, &c. Ex quo ad summum colligitur eos qui, rei criminum illatam manu carnificis mortem perferunt patientes, etiamſi malè vixerunt: plerumque bene mori: præfertim Neapoli aliisque in vrbibus, vbi pii doctique homines, quos confortatores appellant, egregiam in hoc nauant operam aliquot diebus ante supplicium. Cedit his mors violenta perlata patienter in pœnam. Sed hi respectiue ad alios compertum est, quàm sint pauci. Nam vt notat Chrysofomus hom. 2. in Psalm. 50. *Vides quod latro non sine causa misericordiam consequutus est: quia fidem intulit ad salutem*, immo simul cum fide actus eximios, charitatis, contritionis. Et, vt notat Arnoldus loco cit. multa simul officia pietatis complectitur, *Orat, adorat, credit, timet, compungitur, confitetur, prædicat, amat, confidit: idque cum iis extraordinariis circumstantiis, quas impossibile est moraliter in aliis reperiri. Et sic ab eo non potest trahi argumentum ad alios, qui, malè vixerint: immo potest trahi argumentum oppositum, cum vnus, qui malè vixit, non reperiatur saluatus nisi per excessiuos actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ.*

Chrysof.

S. Latro ve-  
rè, & rigoro-  
sè martyr.

Retorqueo tertiò, quia multò minùs potest argumentum trahi à latrone si verum est quod plures affirmant, sanctum Latronem non solùm martyrium subiisse patientiæ, sed etiam propriè, & rigorosè acceptum; quod bonum obtingit paucissimis. Certum autem in hoc est, quia ex parte ipsius fuerit præparatio animi ad subeundos maiores cruciatuſ pro Christo, quando coram Iudæis Christi asseclam se esse professus est. Quæ voluntas moriendi pro Christo, & præterea causa mortis illatæ aliquo modo propter Christum requiritur ad martyrium. Aliqui dicunt, posita ex parte ipsius hac voluntate, Deum ex priuilegio suppluisse defectum causæ: sicut è conuerso in martyrio Sanctorum Innocentium, posita causa occidendi eos propter Chri-

Itum, Deus ex privilegio supplevit defectum voluntatis. Carthagena verò lib. 11. de Christo hom. 3. Fernandus in cap. 40. vers. 10. & alii, volunt fuisse martyrem propter mortem illatam ex novo titulo, & motivo, nempe propter odium in eum ex confessione Christi. Nam cum Iudæi Christum vituperarent, & titulum Regis à cruce optarent expungi; contra verò latro Christum publicè declararet innocentem, adoraret ut regem: certum omnino videtur Principes Sacerdotum cæterosque, qui astabant, Christi hostes contra sanctum Latronem concepisse odium non vulgare, ac ex hoc odio crura fregisse.

Denique probabile omnino est, non solum adversus eum desævuisse conviciis, sed etiam demandata in utroque latrone crurium fractione, carnifices instigasse, ut in eum specialiter desævirent: cui ex recentissima causa specialiter erant infensi. Certum planè videtur prius bono latroni crura facta esse, quàm malo, ut colligitur ex iis verbis Ioan. *Et primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo.* Primus non potest intelligi nisi is, qui erat à dextris: cum Christus esset medius. Locus autem dexter etiam tunc erat honoratior, ut patet ex Psalm. 109. *Sede à dextris meis.*

Bonum autem Latronem crucifixum esse à dextris tum habetur ex vetusta traditione, tum ratio suadet: quia Christo Iudice medio inter utrosque, ipse figura erat prædestinatorum, qui locandi sunt à dextris; sicut malus latro reproborum, qui locandi sunt à sinistris, ex Matth. 25. *Numquid igitur, ut in consimili materia dixit Gregorius hom. 22. in Evang. tam subtilis Evangelista descripto mysterio vacare credenda est? dum Scriptura signanter dicit prius facta esse crura sancti Latronis, quàm alterius.* Certè hoc otiosè non dicitur. Aliud autem in hoc mysterio latere non potest, quàm anticipationem illam vulneris, ut res ipsa declarat, ortam fuisse ex rabie Iudæorum prius in eum desævientium, qui in confessione Christi crucifixi fuerat primus, ut affirmant innominati apud Cornelium in Luc. 23. vers. 42. & expressè Bonacina disp. 2. de Sac. q. 1. p. 2.

Quod si differentia temporis refunditur in substantiam actus, ut in materia de Incarnatione communiter docent Theologi; utique anticipatio mortis refunditur in substantiam mortis: ac proinde mors ipsa illata est latroni in odium confessionis fidei, quam paulò ante Christo exhibuerat: & sic, fuit verè & propriè martyr, ut mirum non sit passim à Patribus Martyrem prædicari. Cyprianus serm. de Passione Christi: *In cruce, inquit, Latro confitens non tantum indulgentiam mernit; sed Christi familiaris effectus, præmissus in Paradisum, & factus est particeps regni per confessionem factus collega martyrii.* Illud (per) denotat causalitatem, & omnino significat confessionem Christi fuisse illi causam martyrii. Idem Cyprianus, sive Lucius Papa, aut alius Author, serm. de oper. Christi Card. serm. de coena Domini

Cyprianus.

XXXV.

- Latrocinium*, inquit, damnationem meruerat & supplicium, sed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & sanguinem in baptismum. Apertè testatur habuisse baptismum sanguinis, quod non est nisi martyrium. Ideo idem Cyprianus epist. 73. sanguine, inquit, sic baptizatos, & passione sanctificatos consummari declarat idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem, & confitentem, loquitur & pollicetur quod secum futurus sit in Paradiso. Hieronymus epist. 13. ad Paulinum, *Latro*, inquit, *crucem mutat Paradiso; & facit homicidii pœnam martyrium.* Quod optimè quadrat in ea quæ diximus; quia ipsamet fractio erurium, quæ fuit pœna homicidii; dum in ea facta est quædam anticipatio in odium fidei, facta est homicidii pœna martyrium. Augustinus sermone 12. de tempore: *Latro*, inquit, *nondum vocatus, & iam electus; nondum famulus, & iam amicus, nondum discipulus, & iam magister. Ex latrone confessor: quia, etsi pœna coeperat in latrone, nouo genere consummatur à martyre.* Nihil clarius. Idem libro de anima, & eius origine, cap. 6. *Latro*, inquit, *tantum valuit confessus Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus.* Hoc verificari non posset, nisi in illo confessio Christi causa fuisset, vt pateretur in cruce pro Christo. Hilarius lib. 10. de Trinitate, de Latrone loquens: *Martyri*, inquit, *suo Paradisum promittens.* Denique Basilius Seluc. orat. 24. *Martyrium*, inquit, *perferenti regnum concedit: Hodie mecum eris, &c.* Eucherius hom. de Latrone, *Quem*, inquit, *culpa perdiderat, cruciatus absoluit, damnatio consecrauit.* Et infra vsurpat verba suprâ citata ex Augustino, & si pœna coeperat in latrone, nouo genere consummatur in martyre. Drogo de Passione Dom. sacr. *O beatissimum*, inquit, *latronem, iam non latronem, sed martyrem.* Alcimus lib. de sent. Dei, de Latrone loquens ait, *Martyrium de morte rapit.* Anselmus alloquio cœlesti 30. de eodem agens ait: *Venerabilis ille confessor, & gloriosus martyr.* Gaufridus Vindoc. serm. 10. *Latro confessor ex latrone efficitur, & martyr ex confessione.*

Hi Patres, non est vt explicentur de martyrio improprie accepto, cum è supradictis possint explicari proprie iuxta regulam traditam ab Augustino de explicatione Scripturæ lib. 3. de doctrina Christi c. 10. Idcirco Binettus libro de bono Latrone, eum appellat *Archangelum Paradisi, Christi primogenitum, mundi totius Prædicatorem, Apostolum, & Martyrem.* Quamuis in hoc de martyrio proprie dicto contradicat Theophilus Raynaudus loco citato cap. 12. Vterque tamen Raynaudus & Binettus in libellis de sãcto Latrone editis doctissimos calamos summis eiusdem præconiis decorarunt. Si igitur sanctus Latro verè martyr Christi fuit, ii, qui malè vixerunt, in fine euadant martyres, & eos adnumerabit inter electos. Sed quia hoc vix, aut ne vix quidem reperitur in paucis; ideo ab exemplo Latronis nullum potest

potest sumi argumentum de bona morte eorum, qui malè vixerint, immo potius potest ab eo sumi argumentum contrarium, non conringere eos, qui malè vixerint, saluari nisi culpas diluant martyrio.

Retorqueo denique ultimò hoc argumentum, quia ut notat Arnoldus loc. cit. considerare necesse est quem locum, quem modum, quod tempus hæc causa habuerit: quia factum est hoc privilegium ex præfentiali assistentia Deiparæ & Christi: Deiparæ, quæ astabat media inter sanctum Latronem & Christum, de quo tractat. præced. num. 266. Christi verò mundum in eo temporis articulo redimentis. Dum, ut notat Bernardus tract. in illud Ego sum vitis vera cap. 9. *in cruce tanquam in sede sponsali, die nuptiali sederet*, Quod si, quando Christus in cruce pendeat, & ex eo largissimè rivi sanguinis defluebant, quando opus redemptionis fervebat, quando Crucifixus per tota ora quot vulnera è crucis cathedra pœnitentiam prædicabat, è duobus latronibus consortibus non utrumque convertit, sed utrum; quid sperandum est de iis, qui postquam malè vixerint, moriuntur non cum Christo in cruce, sed inter amicos decumbentes in culcitra? Certè potuit Christus latronem utrumque convertere: sed voluit in hoc summam difficultatem ostendere conversionis eorum, qui malè vixerunt. Et ideo, juxta evulgatum axioma: *Vnum convertit, ne desperares: alterum reliquit, ne præsumeres.*

## C A P V T V L T I M V M.

*Diluuntur argumenta pro maiore numero electorum.*

**E**X dictis facile est eruere responsiones ad fundamenta contrariæ sententiæ. XXXVI.

Ad primum è scripturis, in quibus magnificatur multitudo electorum, respondeo cum Augustino lib. 3. contra Cresconium cap. 66. ubi: *Solue, inquit, quæstionem. Cum Christus dicat, quàm arcta est via, quæ ducit ad vitam, pauci sunt qui inveniunt eam. Et idem ipse alibi dicat, multi ab Oriente, &c. recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Quomodo in Apocalypsi demonstratur eorum multitudo, quam numerare nemo poterat ex omni gente, & tribu, & lingua habentium stolas albas palmasque ferentium: quomodo iidem sunt pauci, qui multi? neque enim unum horum verum est, alterum falsum: cum sit virumque diuina veritate prolatum. Nisi quia iidem ipsi boni, verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt; in comparatione malorum: falsorumque, iidem pauci sunt. Ex Augustino igitur prædestinati absolutè multi sunt, respectuè ad reprobos pauci sunt. Hæc de beatissima illa turba, sine turba: in qua quilibet è turba est electus ex millibus.*

Respondetur ad scripturas Pro numero prædestinatorum allatas.

Ad locum allatum è Psal. 138. respondeo ibi non loqui Prophetam de solis electis, sed de quibuscumque fidelibus. Cum enim dicit, *nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum*, loquitur de Apostolis. Quamobrem Augustinus, *nimis*, inquit, *confortatus est principatus eorum: facti sunt Apostoli: facti duces Ecclesia: facti arietes ducentes greges*. Ac proinde id quod sequitur *dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*, non potest de iis intelligi, qui non excefferunt numerum duodenarium; sed de iis qui conuersi ad fidem per ipsos ad eorum principatū pertinent. Ideo ea verba explicans idem Augustinus, *Per illos*, inquit, *nata est tanta multitudo, quæ iam sicut arena numerari non potest*. Hic ergo locus non est ad rem: cum ibi non sit sermo de solis electis, sed de quibuscumque fidelibus.

Ad locum allatum è Psal. 39. respondeo ex eo loco colligi oppositum, iuxta glossam Augustini: Qui ea verba explicans, *multiplicati sunt super numerum*: vult multiplicatos esse reprobos super numerum electorum. *Est*, inquit, *numerus: sunt super numerum*. *Numerus certus est pertinens ad illam coelestem Hierusalem. Nouit Dominus, qui sunt eius, Christianos fideles, precepta seruantes, &c. ipsi ad numerum pertinent: sed numquid soli sunt? (alii) & super numerum. Nam etsi modo, pauci sunt, pauci in comparatione multitudinis malarum frequentiarum. Quantis turbis implentur Ecclesie, pressius se urgent, prope se suffocant multitudine. Rursus ab iis ipsis, si minus est, curritur ad amphibeatrum: isti sunt super numerum*. Ex Augustino igitur reprobi multiplicantur super numerum electorum, quos dicit esse paucos respectu multitudinis turbatarum, quæ implent Ecclesias. Vnde patet apertè loqui de paucitate respectiue ad multitudinem fidelium. Obseruandum est etiam dici ab Augustino electos pertinere ad certum numerum, reprobos autem multiplicari super numerum: quia illa multiplicatio esset numerus sine numero. Ideo dicitur Eccles. 1. *Stultorum infinitus est numerus*. Stulti autem dicuntur reprobi: cum nulla excogitari possit maior stultitia, quàm æterna pro temporalibus perdere. Horum infinitus est numerus: cum contra de electis dicitur Sap. 5, *computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est*. Computatio fit intra certum numerum, & fors inter multos obtingit paucis.

Ad primam confirmationem è Scripturis, ad locum ex Matth. 25. vbi vnstantam repertus est non habens vestem nuptialem, respondeo cum Augustino in Psal. 61. vbi mouens eandem difficultatem, *Impleta*, inquit, *sunt nuptia discumbentium, proiectus est inde solus vnus: & dicitis, Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Cur non potius, Omnes vocati, multi electi, vnus proiectus? Si diceret, Multi sunt vocati, & plures electi: pauci verò reprobi; in paucis fortè verifi-*

in illis intelligeremus unum illum. Nunc verò dicit, quod unus projectus est. & subdit, Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Qui sunt electi, nisi qui remanserunt? Projecto uno, electi remanserunt. Quomodo projecto uno de multis, pauci electi; nisi quia in illo uno multi? Ex contextu igitur, & ex consequentia quam Christus infert, apparet in illo uno includi multos, ut notatum est etiam supra. Plus igitur reperti sunt ibi non habentes vestem nuptialem, quam habentes. Sed illi plures figurati sunt in uno illo, ut ibidem notat Augustinus, tanquam in suo corpore (reproborum) quod constat ex multis, respectu quorum Christus ibi pronunciat paucos esse electos. Et sic, ille locus nostræ sententiæ favet, non oppositæ. Idem dicendum de parabola decem virginum, de qua supra num. 7. Ad secundam confirmationem ex collecta Ecclesiæ, respondeo Ecclesiam conformari divino affectui, secundum quem *Deus vult omnes homines salvos fieri*, i. ad Tim. i. quantum de se est. Et sic, Ecclesia petit quantum de se fideles omnes prædestinari. Ex hoc autem affectu Ecclesiæ non bene infertur ad effectum.

Ad secundum argumentum principale petatum ex Patribus, & primò ad testimonium Damasceni, respondeo ex eo non probari intentum, quia dicit tantum *eos salvari, qui non habuerunt virtutes perfectas ob desidiam, negligentiam, fragilitatem, &c.* hosque post mortem juvari suffragiis fidelium. Quod non solum non est contra nos, sed pro nobis: quia non dicit salvari eos qui vitiis indulserunt, sed eos qui virtutes perfectas non habuerunt: addendo quod voluerint, sed ob desidiam nequiverint. Qui vivendi modus restringitur ad eos qui ad perfectionem aspirant, sed negligentem. Addi potest eum sermonem à Bellarmino in libro de Script. Eccl. recenseri inter suspectos, tanquam suppositivum: utpote in quo fiat mentio de anima Trajani precibus Gregorii ab inferis revocati.

Ad testimonium eorum, qui videntur docere tot esse prædestinatos ex omnibus, quot ex Angelis ceciderunt? respondeo primò, hoc argumento probari plusquam intenditur. Nam si Angelorum multitudo, juxta id quod dicitur à sancto Thoma, incomparabiliter superat numerum non solum omnium hominum, sed etiam omnium entium materialium; utique tertia pars Angelorum excedet numerum omnium hominum: & sic, ad supplendam hanc tertiam partem non sufficeret universitas hominum. Respondeo secundò in eo argumento supponi aliquid falsum, aliquid dubium. Falsum est dici à Bernardo tantum esse numerum electorum, quot ex Angelis ceciderunt. Hæc enim sunt ejus verba loco citato, *Tolle hanc (Ecclesiam) & ipsa sanctorum Angelorum pro imperfectione sui numeri gloria claudicabit: nec Dei Civitas de sui integritate gaudebit.* Hæc Bernardus. Neque aliquid plus reperio in Autore de diligendo Deo. Dicitur autem de-

Respondetur  
ad Patrum  
auctoritates  
pro numero  
prædestina-  
torum.

XXXVII.  
Respondetur  
ad eos, qui  
dicunt præ-  
destinatorum  
numerum  
æquari An-  
gelis repro-  
bis.

Bernard.

fectus Angelorum qui ceciderunt, suppleri per homines: ad quod non requiritur, ut adamussem totidem homines subrogentur, quot Angeli perierunt. Sicut nemo dixit id asseri in eo loco Pauli 1. ad Ephesios, *instaurare quæ in calis, &c.* quod ponitur genericè, & indefinite asserendo tantum ruinam Angelorum damnatorum instaurandam erectione hominum beatorum: ex quo potius colligi debet paucitas electorum ex hominibus. Quippe insistendo eidem Bernardo serm. 2. de verbis Isaia, *Qualem necesse est hominem inueniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur?* Præterea dubium est, an tertia Angelorum pars ceciderit: tum quia tertia pars, iuxta multos Interpretes, non accipitur præcisè, sed pro magna parte: tum quia illud Apoc. 12. de tertia parte stellarum tracta per caudam Draconis, explicatur à ple-risque de sanctis viris tempore Antichristi trahendis ad peccatum, ut volunt Ribera, Viegas, Cornelius, & alii cum Gregorio lib. 3. 2. Moral. cap. 14. & sic non sumus in casu. Eodem modo respondeo ad testimonia eorum, qui videntur docere plures homines esse beandos, quàm sint Angeli qui ceciderunt. Nã hi Authores supponunt nesciri numerum Angelorum qui ceciderunt: & sic non loquuntur assertivè, sed dubitatiuè de numero hominum beandorum supra numerum Angelorum damnatorum. Ita Augustinus loco citato in Enchir. *Ciuitas,* inquit, *Dei nulla cinium suorum numero fraudabitur: sed uberiore copia fortasse regnabit. Neque enim numero, aut sanctorum hominum, aut immundorum demonum nouimus.* Expresse igitur dubitat de numero demonum: & sic dubitat excedatur necne à numero hominum beandorum.

Reponde-  
tur ad S. Gre-  
gorium, qui  
prædestina-  
tos Angelis  
æquales fore  
dicit.

Ad testimonium Gregorii docentis totidem homines prædestinan-dos esse, quot Angeli remanserunt; Respondeo primò, vel Grego-rium non sentire de multitudine Angelorum id quod postea sensit D. Thomas, nimirum excedi ab ea incomparabiliter numerum om-nium entium materialium. Vel si hoc sensit, ex testimonio Gregorii colligi oppositum, nempe multò maiorem partem Angelorum esse damnatam quàm saluatam: & sic illis qui remaserunt posse coæqua-ri numerum hominum saluandorum. Cæterum, hoc dici non posse patet ex Matth. 18. vbi dicit Christus quæsisse ouem quæ perierat, re-lictis nonaginta nouem in deserto: per quas intelliguntur, iuxta communem sensum Patrum, Angeli: sicut per vnã ouem homines. Et sic, similem proportionem habent homines cum Angelis, quam habet vna ouis ad nonaginta nouem: ita ut omnes homines sint pars ceterisima totius numeri collecti ex Angelis & hominibus. Tum etiam id patet ex eo quod singulis hominibus assignantur singuli Angeli postremi chori: & ex communi assertionem, ita dantur singuli sin-gulis ut idem Angelus non detur pluribus. Vnde fit ut Angeli beati postremi chori, saltem adæquent omnes homines qui fuerunt, qui

sunt, qui erunt. Non possunt igitur tot esse homines beandi, quot sunt Angeli qui remanserunt: quandoquidem neque omnes homines beandi, neque soli Angeli postremi chori sunt ii, qui remanserunt; sed præter eos octo alii chori: quorum vnusquisque vt perfectione, ita & numero excedit postremum. Melius igitur alii præter nouem choros Angelorum, decimum chorum faciunt ex communi ordine prædestinatorum, vt insinuat Bonauentura in 2. d. 9. qu. 7. id illustrans antiquo Solis miraculo descendente per decem lineas, 4. Reg. 20. & parabola decem drachmarum, Luc. 15. In quo ordo contrarius electorum ex hominibus videtur poni decuplo minor numero Angelorum sanctorum. Et hæc ad secundum argumentum principale petitum ex Patribus.

Ad tertium ex ratione respondeo, ex eo potius colligi contrarium: cum per totam vitam recidiui magna ex parte damnentur, vt ostensum est cap. 6. Ad confirmationem respondeo, negando maiorem foeminarum adularum partem saluari. Nam, supposita doctrina de maiore parte adularum reproba, quantum hæc reprobatio decrederet in foeminis, tantum accresceret in maribus: & sic horum non solum maior, sed etiam maxima pars damnaretur. Quod videtur inconueniens; præsertim cum argumenta pro foeminis non probent intentum. Nam quod in iis demitur de occasionibus extrinsecis peccandi, augetur ex intrinsecis: scilicet ex ignorantia maiore rerum diuinarum, ex mutabilitate & inconstantia animi, ex fragilitate & debilitate maiori. Aduertendum præterea est, in magnis urbibus magnum etiam esse numerum foeminarum; quæ aut meretricium profitentur, aut lenocinium, aut incantationes & maleficia. Ex his saluatur fere nulla. In aliis verò multis peccata, non quidem maiora, sed occultiore sunt quam in maribus; cum iis multa peccata sint probro: in quibus mares se iactant. Sicut autem bonæ foeminae sunt ad quandam deuotionis sensum propensiores; ita malæ sunt in suis affectibus impotentiores, effrenes ad libidinem, pertinaces in odio, perditæ in amore, fraudibus denique diaboli magis obnoxiae hæredes illius Eua, in quam ab illo deceptam prius peccatum intrauit, quam in virum. Quare sicut Eua foemina fuit causa peccati Adæ: ac proinde radix reprobationis omnium reproborum, dependentis ab eodem peccato: ita foeminae etiam sunt quotidie suis ornatibus, & quæsito fucis decore causa reprobationis maribus; & instrumenta diaboli. De quo plura Chrysostomus. Quare peccata multa, & illæ etiam quæ videntur piæ; negligunt. Denique si homicidia ipsæ, & furta non perpetrant; causæ sunt oranium fere rixarum, & sæpe homicidiorum inter amafios; & causæ etiam furtorum, aut iniustarum detentionum ad ipsarum donaria. Ex hoc autem non solum colligitur maiorem partem foeminarum damnati comparatiuè ad eas quæ saluantur; sed etiam comparatiuè ad mares, non maiorem partem ea-

Respondetur ad rationes pro numero prædestinatorum allatas.

XXXVIII.  
An foeminarum plures, saluentur, quam mares.

rum saluari, quàm marium. Et quidem Marsilius in 2. q. 13. dub. 3. affirmat parum numerum saluandorum ex viris & fœminis. Quippe iidem prædestinati post peccatum, qui fuerant antè in statu innocentia: in quo fuit numerus par fœminarum & marium, vt alibi dictum est. Sed hoc nititur falso fundamento, nempe eosdem prædestinari post peccatum, qui fuerant antè. Quod falsum esse ostendit us tomo 2. Theol. lib. 3. q. 15. num. 30. Ruiz verò tomo de prædestinatione, disp. 34. sect. 6. num. 4. affirmat plures fœminas prædestinatas esse, quàm mares. Alensis verò 2. p. q. 95. membr. 4 videtur in hoc propendere, vt plures prædestinati sint mares quàm fœminæ: quia sunt constantiores in bono. Quod videtur probabilius tum ex maiori similitudine sexus virilis ad Christum, tum ex maiori perfectione eiusdem sexus. Nihil autem in hoc decerni potest certi. Quod insinuat Scotus in 2. d. 20. q. 2. dum mouens hoc quæsitum, nihil in hoc decernit. Ad argumenti autem solutionem parum interest an plures fœminæ saluentur quàm viri, an è contra: modò comparatiuè ad damnandos dicatur è fidelibus minorem adutorum partem saluari. Et hæc occasione confirmationis ad tertium principale.

Respondetur  
ad rationem  
sumptam è  
morientibus  
cum sacra-  
mentis.

Ad quartum respondeo eos, qui malè vixerint, bene mori, accidere vt in paucissimis, quemadmodum ostensum est cap. 7. Neque obstat, quod multi ex his decidant cum sacramentis: quia sæpe contingit, vt vel sacramenta suscipiantur tantum ex quadam consuetudine, & respectu humano, ne quid patiatur existimatio. Quamobrem Politicus quidam ad extremam vnctionem accipiendam sollicitatus dixisse traditur, *vingite me, modò id conducat familia.* Vel suscipiantur bona fide & ex timore gehennæ, non tamen cum dolore & proposito sufficienti. Quæ quidem bona fides sæpe excusat à nouo peccato, non tamen pertingit ad effectum sacramenti, ex defectu veri doloris: qui cū suis requisitis difficile habetur ab homine habituato in peccatis, vt ostensum est loco cit. Quamobrem talis confessio moribundorum sæpe neque est deformis, quia per bonam fidem excusatur à sacrilegio: neque formosa per gratiam, ex defectu materia primæ, quæ est supernaturalis dolor; sed erit informis, idest sine deformitate sacrilegii, & sine forma gratiæ: ac proinde non est sufficiens ad salutem.

XXXIX.  
Dæmones  
ad fictam  
penitentiam  
in morte cur  
concurrant.

Quod si multi ex hiis videntur post malam vitam bene mori, idest quia videntur aliqua signa doloris externi extorta à timore: latet autem defectus doloris interni non pertinentis ad dolorè super omnia saltem temporalia, sed stantis cum aliqua implicita voluntate, quod si abesset maius periculum, rediretur ad præteritas voluptates. Hoc est ferid aduertendum, vt discrimen fieri possit inter mortem bonam veram, & mortem bonam purtam: quæ nihil ad salutem confert. Immo timendum potius, ne ad hæc signa dæmones, in iis qui malè vixerunt, concurrant. Tum vt sub illa spe salutis decipiant moriens.

tem: & sic non progrediatur ulterius ad verum dolorem. Tum vt decipiant superstites: qui putantes multos ex iis, qui malè vixerunt, bene mori, per similem vitam sibi promittant exitum similem: & sic à sceleribus non deterreantur. Hinc etiam ortum habent multæ revelationes fictæ, quæ vulgari solent à mulierculis: quod scilicet animæ talium, vel talium, qui flagitiosè vixerunt, visæ sint in purgatorio, & interdum etiam in Paradiso. Adnituntur in hoc maximè dæmones, vt alii præsumant saltem post scelera. Et hæc pro responsione ad quartum.

Ad primam confirmationem respondeo primò, argumentum si quid probat, probare plusquam intendit. Quippe ex eo, quod bonitas Dei sit sine mensura, debet mouere efficaciter voluntatem ad communicandam se per gratiam & gloriam, non certis hominibus, sed omnibus quod est falsum. Respondeo secundò directè, hoc argumentum non militare in nostra sententia, qui ponimus in Deo voluntatem efficacem, sed conditionatam, saluandi omnes, per quos non steterit, positis mediis conuenientibus ex parte Dei, vt ostensum est tomo. 2. Theol. lib. 3. vnde intulimus, quod omnes prædestinarentur à Deo, si videret omnes ex parte sua ita cooperaturos auxiliis, vt forent perducendi ad finem per media conuenientia cursui ordinario gratiæ: quibus pauci præuidentur cooperaturi. Ita vt si alii prædestinarentur, oporteret eos perducere ad finem per media, quæ intellectus diuinus iudicat in talibus circumstantiis non conuenientia. Quod est alienum ab ipsamet bonitate diuina, vt explicatum est fusè.

Ad secundam confirmationem respondeo, amplitudinem empyrei congruam esse præmio electorum, & angustias infernalis carceris pœnæ reproborum: nam ciuitas tam ampla decebat ciues tam dignos. Neque inuerisimile est id quod aliquando à viris piis audiui, vni-euique beatorum tantum spatii attribuendum esse quasi propriam sedem, ac domicilium, quantum totius terræ spatium exæquat: ita vt tantum ibi loci possideat, quantum omnia orbis Regna concluderēt. Ad hoc autem & apta est, & sufficiens empyrei immensitas: cum in firmamento, quod est calum empyreo inferius, qualibet stella, quæ minima eius pars videtur, longè terræ magnitudinem superet. Contra verò carceris inferni angustia aptæ sunt ad pœnam. Cæterum inferni spatium sufficiens esse ad capienda corpora damnatorum sine penetratione, patet ex iis quæ dicuntur Apoc. 14. de lacu excurrente per mille sexcenta, idest ducenta milliaria Italica: quem locum de spatio inferni explicant Ribera, Cornelius, & alii, Quod si accedat proportionaliter latitudo & profunditas, iuxta id quod dicitur Isaia 30. *gehenna preparata, profunda, & dilatata*; continere potest hic locus sine vlla penetratione corporum; miliones hominum innumeros. Et hæc pro responsione ad tertium.

Beatis locus  
in celo tot i  
terræ spatio  
æqualis  
assignatur.

Ad quartum principale respondeo, primò hoc argumentum, vt

XL.  
Respondetur  
ad rationem  
sumptam ex  
efficacia san-  
guinis Chri-  
sti.

loquitur Scotus, esse *in plus*; quia efficacia sanguinis Christi si adæ-  
quari debet per actum secundum, oporteret, saluari omnes: sicut  
sanguis ille est efficax ad salutem omnium. Sicut igitur non præiudi-  
cat illius interminatæ efficaciam, quod non saluentur omnes in actu  
secundo, sed aliqui: ita neque, quod non saluentur plures, sed pauci.

Ad primam confirmationem respondeo primò nesciri numerum  
Angelorum beatorum: cum numerus reprobatorum non habeatur ex  
loco allato Apocal. 12. vt ostensum est supra. Respondeo secundò,  
datò quod plures sint Angeli electi quàm reprobi: quod videtur val-  
de verisimile, & iuxta sensum communem Scholasticorum, adhuc  
non currit paritas de hominibus: tum quia breuissima fuit Angelo-  
rum via, & nullis peccatorum occasionibus obnoxia: contrà homi-  
num diuturna sit via, & innumerabilibus siue carnis illicebis, siue  
dæmonum insidiis exposita. Tum quia Angeli electi sunt è statu in-  
nocentiæ, & gratiæ originalis: contrà verò homines è massa infecta  
peccato. Et sic mirum non est, quod cum omnes ex vi originalis  
peccati clusi à gloria, pauciores aliqui ad eam deligerentur,  
pluribus in massa infecta permanentibus. Quod si Adam non pec-  
casset, non homines aliqui, sed omnes prædestinati fuissent, vt osten-  
sum est tom. 2. Theol. lib. 3. q. 15 num. 3 1. & sic, in eo casu par fuisset  
ratio, immo maior hominum, quàm Angelorum conditio.

Ad secundam confirmationem respondeo, concessa tanta multitu-  
dine Martyrum, nihil ex ea concludi respectiue ad multitudinem  
reprobatorum; præsertim cum non sint prædestinati extra eos, qui vt  
notat Beda, *coronas ferunt aut de virginitate candidas, aut de passione  
purpuratas*. Et ideo antiquitus sanctorum Martyrum festa celebra-  
bantur in Ecclesia, dubia plerumque aliorum salute.

Ad tertiam confirmationem respondeo, ex eo quod prædestinati  
sint Christi Aulici, colligi potius contrarium: quia magis cedit in  
gloriam Principis excellentia Aulicorum, quàm turba. Facit autem  
ad maiorem excellentiam Sanctorum illa paucitas & singularitas, vt  
unusquisque eorum sit *electus ex millibus*. Quippe, vt notat Hiero-  
nymus in Il. 13 *pretiosum dicitur omne quod rarum est*. Prædestinati  
igitur, qui Christi familiæ sunt, & Aulici, eò pretiosiores sunt, quò  
pauciores. Quæ paucitas non detertere debet à bene operando, sed  
ad id maxime incitare. *Non te terreant, vt inquit Hieronymus  
epist. 34. descendentes, sed prouocent ascendentes. Nusquam exem-  
plum à malis sumitur. Etiam in sæculi rebus à meliori parte incita-  
menta virtutum sunt*. Idcirco potius cum paucis arcta via ingre-  
dienda, cuius terminus angustissimus; quàm cum multis lata, cuius  
terminus angustia, & finis mors sine fine. Ideo vnumquemque ad-  
monet Climacus, *Vine cum paucis, si vis regnare cum paucis*.

FINIS,

INDEX